Stephani Roderici CASTRENSIS *Lusitani*

Medici, ac Philosophi, præstantissimi, & in Pisana academia, primo loco medicinam docentis.

TRACTATUS DE COMPLEXU MORBORUM

Studio, & diligentia, VALERII NERVII Civis Pisani, Philosophiæ, & Medicinæ Professoris.

Cum Indice Rerum, & Verborum.

FLORENTIÆ

APUD ZENOBIUM PIGNONIUM.

MDCXXIIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Valde

ILLVSTRI VIRO CASSIANO PVTEO EQVITI S. STEPHANI DOMINO COLENDISS.

Stephanus Rodericus Castrensis Lusitanus salutem, & felicitatem exoptat.

FORSITAN sublimis tua mens, magnis semper intenta rebus, exiguum hunc Libellum contemnet, dedignabitur. sed immeritò: quippè eò ipso quòd exiguus est, tuum requirit lumen. Nam quæ parua sunt non nisi ad magnam cõspici lucem possunt. Hanc dupliciter possides, & maioribus, & mo-

ribus: generis tui claritudo varias Italiæ vrbes implet, ſimiliter morum ſplē dor. Proh quàm multa laudabilia in hòc puteo clauduntur, immo ex hòc puteo hauriuntur! Et hæc prior eſt, quæ mè impulit cauſa, vt tibi opuſculum dicarē. Altera amor in mè tuus, quem manifeſtiſſimis ſignis exprimis. Hoc nexu aſtrictus ſolui nec volo, nec poſſum; nolo, quia ſuauiter; nequeo, quia fortiter teneor. Æternum itaq; penes tè, hòc eſt, in beneuolentię, benignitatisq; tuæ vmbra libet commorari. Pactum gratum, ratumq; mihi eſto, in cuius fidem ſyngrapham mitto, qua mè tibi & credo, & dedo. Ita libellum iſtum appello, quem hòc pacto in ſecuro repono. Non deerunt incurſantes calumniatores, ſed fruſtra, ad aras mè confugiſſe putò, omnium tela, tua confringet virtus, potius tua

fuga-

fugabit amabilitas, nemo eſt qui tè, & ſubindè quicquid tuum eſt, non amet, libellus, qui nomen tuum in fronte gerit, tua res eſt; quis in illum audebit? nemo ſane, immò applaudunt omnes. Alius hac dedicatione munus tibi ſe offerre putaret, ego mè accipere profiteor. Vale.

VALERIVS NERVIVS PHILOSOPHIÆ, ET Medicinæ doctor, artis medicæ studiosis. S.

LOngè plures in exiguo, sed fertili agro, quàm in spatioso, & sterili, fructus colliguntur, ita sensurum vnumquemq; spero de aureo hoc libello, quẽ diù apud mè retinere nolo, nè vtilitatem, quę ex eius lectione percipi potest, vobis videar inuidere. Doctrina mirabilis, intra angustos terminos reclusa, mirabilem reddit autorem, cuius iàm prius fama percrebuit, & in posterum nouis operibus, lucem propediem visuris, augebitur. Ego, quæ meæ sunt partes, summa ope assiduè nitar, vt tàm nostra hæc ætas, quàm ventura, diuitijs artis medicæ, quę in doctissimi huius Viri ingenio tanquam in opulentissimo thesauro seruantur, perfruatur. neq; verò mei laboris exigua erit merces vobis profuisse. Valete.

Tractatus DE COMPLEXV MORBORVM.

Neceſſitas huius Tractatus. CAP. I.

NIſi viæ monſtrator adſit, hęret anceps in triuio viator, quòd ſi iter incõſultò aggreditur, cõſultò paulo poſt regreditur. Talem mente concipio medicum, qui binas, trinaſue, aut etiam plures curat ęgritudines, quibus adeò irretitur, vt vel cùm ſummò dedecore, prioris conſilij pœnitens, pedem, vt aiũt, referat, vel cùm ægrotãtis graui damno peruicaciæ notam ſubeat. In tanto diſcrimine quid aget? Num Mercurium, aut Apollinem implorabit? At

oportuerat eos antea propitios habuisse: nam, quòd dici solet, non sat est studere, sed studuisse. Sociū nè aliquem sibi asciscet? iste etiam, ni arte valeat, in eandem incidet calamitatē. Ars igitur est, cui vni, si quid proficere studes, à principio sit incūbendū. Forsitan ais, implicationes istas morborum noua monstra parere, sicut, ex animalium diuersorum coitu, semper Africa aliquid fert nouum, id autem quòd nouum est, nec cogitatum fuit prius, non posse arte comprehendi. Immò maximè: quippe in hoc dogmaticus empiricum pręstat, hic solis exemplis eorum quę iam cō tigerunt ducitur, illè ratione, quæ quicquid contingere potest vniuersalibus amplectitur documētis. Fluctuat iudicium in hoc aduersantium inuicem morborum concursu, nec aliter potest quàm medicinæ procerum placitis firmari, verum apud eos nihil de hac multiplicitate ex professo scriptū reperio, multa tamen sparsim,

ſim, quæ colligere, & illuſtrare non inanis eſt labor. Vnum duntaxat admoneo, mè cùm morbos complicatos dico, ſub morborũ nomine, more Veterum (vt ait Philotheus) *& morbos, & cauſas, & symptomata, & quicquid eſt præter naturam*, intelligere. Symptomata aliquis omitteret, vt potequæ nullam propriã expoſtulant curationem, ſed ſanatione ſuorum morborum, quos ſequuntur velut vmbra corpus, ſanantur. Verumtamen non omne ſymptoma eſt *vmbra morbi*, ſed aliqua ſunt, quæ cauſæ rationem habẽt, & hæc, vt voluit Galenus, curationem immutant, immutant & prognoſin, prognoſis, ſi varietur, variat curationem.

1. aph. 2

12. meth. c. 1. & lib. de opt. ſec. c. 22.

Quotuplex morbus compoſitus.
C A P. II.

COmpoſitorum morborum tres nobis differentias tradidit Galenus. Prima eſt, quando morbus mor-

3. meth. c. vlt.

bo coniungitur, vt ſi vlceri adſit inflammatio. Ad hanc reduci poteſt morbus, quem autor libelli de oculis compoſitum vocat, eũ videlicet, qui ab intemperie compoſita fit, temperies compoſita eſt, vel calida, & humida; vel calida, & ſicca, rurſus vel frigida, & humida; vel frigida, & ſicca. In hac etiam differentia collocabimus Vulnus, aut vlcus, in quò partes ſpecie diuerſæ, ſectæ infectæuè ſunt, vt ſi cùm carnoſa ſubſtantia ſimul venæ arteriæuè aut nerui plagam ſuſcipiant. Dummodo tamen hę partes ſint effatu dignæ: nàm ſi venæ v.g. ſint capillares non impediunt quò minus per primam intẽtionem, vt aiunt, vulnus vniatur, ac propterea vſus obtinuit, vt ſimplex nõ compoſitum dicatur, venę autem ſat magnę ſi ſcindantur ſimplici vnione coniungi nequeunt: propterea vulnus efficiunt, quòd compoſitum appellatur. Altera differentia eſt, quando cùm morbo validum ſymptoma, curationemq.

De ocul. c. 3.

quarta quartana. Porrò diuersi generis erunt putrida cùm hectica, aut harum quælibet cùm ephemera. Fuerunt aliqui, qui febres cōtinuas eiusdem speciei infimæ non posse compositam efficere, sed in vnam simplicem coire, existimarunt: quia materia intra venas putrescens ex vno loco statim in venas omnes putrediné diffundit. Hos reprehendit Auicenna: sit enim vt alicubi materia putrescat, puta bilis, & ex putrescente hac, putredo per vniuersum corpus dispergatur, vndè febris accenditur, increscitq; prò putredinis expansione, fieri tamen interea potest, vt in alio loco, hoc est in foco alio, dùm prior febris affligit, non prioris illius putredinis vi, sed suopté vitio eadé bilis putrescat, & rursum febrem alteram inchoet, eruntitaq; duæ continuæ febres, altera post alteram: & si enim intra venas humor putrescit, potest tamen prior eius portio in iecore, altera verò in superioribus venis,

a 1. 4. tra 4. c. 16.

nis, puta in vena caua, quæ ad iugulum ascendit, non eodem tēpore peruenire. Adde etiam posse eandem humoris speciem parte vna esse crassiorem, parte altera tenuiorem, & in vtraq; putredinis fomitem existere. In hoc casu, potest tenuior primo loco putrescere, & priorem febrem efficere, rursus vbi prior ad incrementum accesserit, crassiorem accēdi, & alteram febrem producere. Hoc nulli rationi reluctatur. Dummodo tamen intelligas continuas proportionales esse eas quæ componuntur: si quidem diuersæ esse possunt. Omnis autem febris continens cum alia cōtinente, est eadem, neq; tunc compositio adesse dicitur, sicut nec hecticę cùm hectica, nec ephemera; harum quippe non est qualitas, & complicatio sed vnitas, & simplicitas. cur enim compositam dicemus febrem vbi focus caloris, & calor in vnum & idem coalescunt?

Quòd verò ad diuersę speciei febres

bres ſpectat, vt ſunt tertiana,& quar tana,qua reponuntur ſub eodem genere, vel(vt magis logicè loquar)ſub eadem ſpecie ſubalterna,hoc eſt,ſub putredine, nemo eſt qui dubitet poſſe inter sè componi: pèndent enim è varijs materiebus, & varias ſeruant periodos, vt quartana cùm tertiana, aut harum quælibet cùm quotidiana, habent etiam aliquando diuerſis in locis ſuas miniſtras,vt continua & intermittens.

Quòd attinet ad generis diuerſitatẽ, febres genere diuerſæ multo melius componuntur, vt putrida cùm hectica, aut diaria cùm putrida. An verò vbi adeſt putrida, aut hectica, neceſſario diaria adſit? in dubiũ reuocatur. Aliquorum fuit opinio poſſe putridam aut hecticã, ſine diaria, adeſſe. Nàm agens poſtulat moram in agendo, & paſſi identitatem, quæ duo calor in ſpiritibus non habet: quippè præſto tranſeunt & denuò reficiuntur ob hanc enim eorum re-

ſolutionem, diaria vix vltra diem extenditur.

Cæterũ imaginatione concipi nequit, poſsè ignem partes ſolidas, aut ſaltem humores corripere, quin ſpiritus longe tenuiores, & incendi aptiores, incendantur. Nàm ſi exigua quęlibet fuligo, è bubone accedens ad cor, diariam accendit, quomodo multitudo fuliginum, ab humore intra vaſa putreſcente, nõ inducet diariam? In hectica adhuc magis, cor enim calefactũ imprimit ſpiritui ſuũ calorem. Nec verò ſpiritus prorſus omnes reſoluuntur, & reficiũtur, ſed eorum pars aliqua accenſa remanet: non durat autem diaria vltra diem, quia pars ſpirituum, quę remanet calefacta, ſuperatur à maiore quantitate, quæ denuò regignitur. Diaria ergo, cùm alijs febribus, adeſt, non tamen apparet, tùm quoniam ſpiritus febricitantium febre putrida, aut hectica, pauci ſunt, & qui non poſſunt aſpectu grauem ſuſcitare ephemerã,

tùm quia mansuetudo caloris, quæ diariæ debetur, aliorum calore offuscatur. Et fortassis calor, qui remanet post periodum, diariæ solius est. Nec tè seducant verba Isac dicentis *ephemera gignit reliquas febres, non tamen gignitur ab illis*. Rectè quidem quò ad priorem partẽ: quippe *ephemera gignit*, hoc est, *gignere potest* reliquas febres prò vt occasionem quis præstabit. Possibilè enim est (Galeni testimonio) vt & in putridas, aut in hecticas transeat diaria, nisi quis eã commodè tractet. Et quòd attinet ad putridas tùm ex corporis apparatu: (videlicet, vt idem animaduertit, *si multi, crassi, glutinet siq; impacti sint succi*) tùm ex intemperie; siquidem vt apud eundem inuenies, calida, & sicca si febre diaria laborauerit, nec citò cibetur, in acutã permutabitur. tùm ab errores: *neq; enim mirum est*, ait ipse, *si vel propter medicorum ignorantiam, vel propter ægrotantium intemperantiam, vel propter ministran-*

Isac de feb partic. de ephem. c.1.

9. Meth. c.1.

8. Meth. c.4.

8. Meth. c.8.

9. Meth. c.1.

tium errorem in huiuſmodi febribus cõmiſſa in aliud eas genus transferant, cùm per ea quæ delinquuntur morbus etiam, qui antea non erat tunc excitetur. Quòd verò ad hecticas ſpectat, eas ex diarijs fieri, à Galeno etiam do cemur, cùm cauſa externa vehemens eſt: Vt potè mæſtitia, aut ira, aut laſſitudo nimia vnà cùm ſolis ardore cõ tracta. Alteram verò partem ſermonis Iſacci, nẽpè ephemeram ab alijs nõ gigni, nè admititto, niſi per ea ver ba intelligas ephemeram ab alijs febribus genitam, perindè eſſe ac ſi nõ gignatur, quippè nihil immutat, aut de curatione, aut de prognoſi. Obijcies tamen, ſi omnis febris habet con nexam diariam, nullam eſſe febrem, quæ compoſita non ſit. At meminiſſe oportet eius quòd ſuperius dictũ eſt, cùm de morbo & ſymptomate ſimul iunctis verba feci, ſcilicet nõ om ne ſymptoma compoſitionem efficere, ſed illud duntaxat quòd prçuertit curationem, ita in febribus, dummodò

1. differ. feb. c. 8.

dò diaria nihil curationẽ alterius impediat, composita febris non appellatur:compositus namq; aut simplex morbus, ex composita, aut simplice curatione, suscipit denominationẽ.

Morbus compositus, complicatus, confusus qui differant.
C A P. 4.

ALiqui morbum confusum,& cõpositum eũdem esse, diuersum tamen à complicato,existimant. Alij confusum cùm complicato confundunt,vtriq; cõtra Gal.mentẽ,qui confusum à complicato, seu à complexo, differre insinuat, his verbis. *Voco autem complexionem,quando horis differentibus inuaserunt, confusionem verò, quando eodem tempore inceperunt,* *2.diff.feb. c.8.* Neq; verò compositus, & confusus idem morbus sunt,sed differunt,non aliter ac genus ab specie: ita vt cõpositio sit genus habens sub sè, tãquàm species, complicationem,& cõfusio-

2. crif. c. 7. nem. Galenus hoc voluisse videtur, dùm febrium genus compositum separat, in eas quæ complicatę sunt, & in eas quę sunt confusæ. Complicatus itaq; morbus tunc dicitur, quando duo, vel plures morbi diuersas occupant partes, vt siquis morbo articulari, & simul calculo renum laboret, quòd non raro contingit. Febres autem, cum sint morbi totius, nō possunt diuersitate partium complicari, complicabuntur ergo diuersitate tēporis. Quà propter complicatæ dicentur si diuersam habeant accessionis horam, confusę si eandem. In partium verò morbis confusi dicentur, qui eandem simul occupant partem, sicut in eo *qui* (vt Galenus narrat) *vētriculum paruum simul, atq; rotūdum, atq; aduersus septum habuit incumbentem*: in ipso etenim *magnitudo, formatio, ac situs, erant deprauati, temperatura quoq; frigidior existebat*. Habes hic quatuor morbos confusos, hòc est, eandem partem, nempè ventricu-

art. med. c. 87

lum;

ſum, occupantes. Tres differunt ſpecie, videlicet, in magnitudine, figura, & ſitu: ſunt quippe morbi in compoſitione, quartus differt toto genere, videlicet, morbus ab intemperie. Ecce tibi explicati morbi confuſi, vt ſinè confuſione eos à cõplicatis diſtinguas. Caue ergo ab Argenterio qui rem ita complicat, atq; confundit, vt dum non intelligit quid Galenus ſibi velit, quid ipſe ſibi velit, non declarat. *Lib. 1. de morb. gener. c. 4*

Febrium complicatio. C A P. V.

DIxi febres, quę morbi ſunt totius, non poſſe, diuerſitate partium, complicari, quod intelliges, dũ modo non fiant propter viſcerum inflammationes: tunc enim, Galenus ait, ita complicantur febres, vt complicantur inflammationes: nempe ſi febris fiat in phrenitide, ob cerebrum inflammatum, & dicatur febris phre- *2. criſ. c. 7*

nitica, quemadmodum peripneumo niaca ob inflammationem pulmonis, pleuritica ob pluræ inflammationẽ, & hepatica, quæ ex hepate inflammato oritur. Hę ſi coniungantur, complicatę dicuntur: *alia enim eſt forma febris phreniticę, & peripneumoniacę, & pleuriticæ itidem & aliarum omnium febrium quæ ex inflammatis quibuſdam particulis accenduntur.* Itaq; vt variarum partium inflammationes non confundi, ſed complicari dicuntur, ita etiam & quæ eis debentur febres, quas earundem inflammationum ſymptomata Galenus eſſe vult. Confuſas autem, cùm eodem, appellabimus, quando ex confuſis inflammationibus ortum ducunt, vt quando inflammatio cùm eryſipelate, aut eryſipelas cùm inflammatione miſcentur. Porrò complicatas appellabis quoties diuerſa membra inflammata febrem accendunt, confuſas à diſpoſitione mixta vt ab eryſipelate phlegmonade, aut à phlegmone eryſipelatode.

1. ad Glauc. c. 4.

He-

leuior, altero inuadens grauius, & in summa in dies acutior, addit alibi *maximè lethalis*. Diſcurre per ſingula, & inuenies omnia hæc ſoli conuenire ei, quæ ex tertiana intermittente, & continua quotidiana componitur. Poterunt etiam conuenire alteri, quę ex intermittente quotidiana, & continua tertiana conſtat, quam Galenus admittit, ſed tanquam raro euenientem contemnit. 1.epid.ſec. 3.tex.5

Eſt itaq; *horrifica*. Si vero vtraq; componens ſit continua non poterit cõpoſita horrifica eſſe: quippè ſi componentes horrore careant, (carent autem quia ſunt, continuæ) neceſſe eſt vt eodem careat ea quæ ex ijs cõponitur. Cæterum appellat Hippocrates febres horrificas, non quòd in eis, acceſſionis initio, accidant horrores, ſed quoniam, per totã ferme acceſſionem, horroris ſenſus producitur, idq; dupliciter, videlicet vel quãdo reduplicat incremẽtũ, vel quando incrementum eſt inæquale.

Deindè *continua*:& iccirco nõ poteſt ex duabus intermittentibus fieri: nam compoſitum ſuorum componẽtium naturam ſapit. Iam ergo nec ex duabus continuis, nec ex duabus intermittentibus, fieri poſſe manifeſtũ eſt, ſed ex altera intermittente, altera continua. At intermittens quotidiana rara eſt (vt diximus.) quare recipere cogimur tanquam frequẽtem & Hippocraticæ doctrinæ conſentaneam ſemitertianam eam, quæ ex cõtinua quotidiana, cùm intermittentè componitur tertiana.

1.epid.ſec. 3.com.2. Sed Galenus nobis inſinuat, ſemitertianam aliquando intermittẽtem eſſe, dùm ait *ex ſemitertianis quædam vtraq; incedunt via quædam altera tantùm earum, quæ ad integritatem veniunt*. His verbis ſignificare videtur, aliquas ex ſemitertianis eſſe, quę vtramq; febrem ad integritatem venientem habent: Thomas Rodericus à Veiga bona fide teſtatur contextũ correctione indigere: legere namq;

opor-

oportet *ex hemitritæis quidam eos agunt vtraq; via* ideſt, putãt partim eſſe continuas, partim intermittentes, *alij inter continuas tantum numerant febres*. Sed adhuc dubitationem inducit libellus de typis vbi legitur, *eſt autem non ſemper continua, verum, & intermittens ſemitertiana febris*. Reſpondent aliqui libellum de typis nõ eſſe Galeni, ſed potius Agathini, cuius doctrinam à Galeno relatam ſapit. Verum enim verò ego ſinè cõtextus correctione, ſinè libelli de typis reiectione, dicam vtrobiq; vera dici, videlicet ſemitertianam aliquãdo eſſe intermittentem v.g. illam quę exquiſita non eſt, quando autem hemitritæo conditiones, ab Hippocrate traditas, accommodamus, de exquiſitò loquimur.

Acuta præterea eſt hæc febris, nẽpè ſemitertiana, imò (quòd Hippocrates alibi addidiſſe diximus) *valdè lethalis*, vndè colliges id quod manet dictum, videlicet eſſe continuam: ſi

namq; intermittẽs foret periculò om
4. eph.43. ninò careret, ex Hippocratis testimo
nio, non caret autem periculo: tùm
quia est valdè lethalis; tùm quia acu-
ta: morbi enim acuti, vt Archigenes
ait referente Galeno, cùm velocita-
3. dieb. de- te sũt periculosi, &,ut Hippocrates
cret. c. 13. censet, cùm febre continua eueniũt.
1. acut. tex. 8

Negabis forsan hemitritæum esse
morbum acutum, quoniam autor li-
bri de typis traditum esse ab Hippo-
crate, ait, hanc febrem non solum in-
ter acutos morbos, sed etiã inter diu
turnos connumerandam esse. Sed vn
1. epid. sec. dè nam colligit hanc fuisse Hippocra
3. tex. 5 tis mentem? Nimirum quoniam a-
pud eum ita scriptum legitur, *tabidi,
& qui longis morbis detinentur, hac præ
cipuè ægrotant.* (Loquebatur de semi
tertiana). Galenus existimat semi-
tertianam etiam posse intelligi, licet
horrore careat, si tamen secundò die
inuadat, atq; ita quasi quæstionẽ de
nomine effugiens nihil præterea, cir-
ca hanc difficultatem, affert, sed dun

taxat

taxat velle videtur ſemitertianæ nominè etiam intelligi tertianam duplicem. Non longè ab hac ſententia eſt Thomas Rodericus à Veiga, dùm ait, febres tertianas nothas continuas per ſubintrantiam, nominè ſemitertianarum eſſe intelligendas: quia videlicet vnum ſignum habent tertianarũ, hoc eſt, exacerbari tertio quoq; die, altero deſtituuntur, hoc eſt, ceſſare ad infebricitationem, & has cenſet appellari horrificas, non ſemitertianas: quia non ſunt compoſitæ ſicut ſemitertianæ, ſed ſimplices, cõtinuæ, exitiales, vti febres puncticulares.

Abſit tamẽ vt dicamus Hippocratèm dicentem *in febre, quam vocant ſemitertianam*, eſſe intelligendum de tertiana, & non de febre compoſita ex tertiana, & quotidiana. *In febre*, (inquit illè) *quàm vocant ſemitertianam, morbi eueniunt acuti, tùm præter cęteras, hęc eſt maximè lethalis, ac tabidi, & qui longis alijs morbis detinentur,*

tur, hac præcipuè ęgrotant. ex contradictione, quę videtur his verbis inesse, contradictionis solutionem accipies. *In semitertiana*, dicit, *morbos euenire acutos* postea adiungit *eos qui longis morbis laborant, hac febre pręcipuè ægrotare*. Res in hunc modum sè habet. Est febris *acuta, & maximè lethalis*, quoniã nulla febris acuta est, in qua tàm crebro,& tàm continẽter varijs symptomatibus facultas affligatur. *Periculosa porro est semitertiana* (inquit autor libelli de typis) *vt quæ non os ventriculi solummodo, ac neruosas partes, & summatim media attingat, sed & veternosas cataphoras, vigiliasq; cùm delirio, ac syncopas diaphoreses inferat, linguã præterea valdè exsiccet, atq; animi defectionem efficiat, vehementer, quæ in profundo sunt, commouens. In vniuersum ferus, periculosissimusq; hic typus est*. Sic illè non potest igitur non esse *morbus acutus* sed cur addit, *eos qui longis morbis laborant, hac febre præcipuè ęgrotare?*

De typis c.4.

Non

Non quidem quòd hęc febris sit longus morbus, sed quia longis soleat superuenire: quid enim prohibet morbum, qui longis morbis superueniat, esse acutum? Imò verò sæpe medicus imprudēs diuturnam fore febrē, sed salubrē prædicit, cùm tamen post menses, superueniente nouo morbo, æger moriatur. Neq; hoc inopinatū esse debet, sed optima cùm ratione eueniens: quippè illi qui diuturnis laborant febribus, incidunt in facultatum debilitatem, & propterea cruditates accumulant. Rursus perseuerante calore febrili aduritur pars sanguinis, & bilis augetur. *Ecce iam materia quotidianæ, & tertianæ*. Præterea morbi diuturnitas facit vt diuersa membra diuersas possint suscipire affectiones præter naturam. Vides vt ex duplicè humore nempè bile, & pituita, in diuersis membris aggregato, possint fieri duę febres, altera tertiana, ex bile in vno mēbro, altera quotidiana ex pituita in alio. At hæ duæ

febres compositam efficiunt,hoc est, hemitritęum. Ex his cõstat tabidum, aut quomodocùmq; diuturna febricula oppressum, nouis horripilationibus nouisq; inuasionibus superuenientibus semitertianarium mori.

Est tandem alia conditio vt semitertianę sint *altera die grauiores, altera leuiores*: quoniam eo die,quo duę adsunt febres,tertiana,& quotidiana, grauius affligitur ęger, leuius autem altera die cùm sola affligitur quotidiana.

At quoniam initio dixi horrificam esse hanc febrem,considerato bilem, quę, per sè solam,rigorem pręstat,vt inferius subsistens horroris duntaxat sit effectrix necesse esse frigore pituitæ cõtemperari,& subindè vtraq; accessio, tertianę,& quotidianæ coincidet in idem tempus quę etiam est cõditio necessaria vt semitertiana exquisita dicatur. Quare si exquisita hoc habet vt vtraq; accessio simul adueniat, exquisita confusa est,reliquæ

autem

autem minus exquisitæ quibus hæc deest conditio, dicentur potius complicatæ.

Febres, quas nothas appellant Medici sint nè inter compositas numerandæ.

CAP. VII.

Confusos morbos esse dixi, si duo aut plures affectus in eodem sint loco, duos dico affectus, si sint vel duo morbi, vt vlcus, & cauitas; vel duo symptomata, vt rubedo, & dolor; vel morbus, & symptoma, vt vlcus, & sordities; duas etiã causas morbi, vt in erysipelate phlegmonode, bilis cùm sanguine, in phlegmone erysipelatode sanguis cùm bile; in schyrro edematode, melancholia cùm pituita, in edemate schyrrode pituita cùm melancholia. Hæc quidem ita habẽt, sed cur tertiana notha siuè ea sit composita ex bile, & pituita, quam maioris famę appellant bar

bari, siuè ex bile, & melancholia, quã dicunt minoris famæ, cur etiam quotidiana notha, cur quartana notha, inter simplices, nõ inter compositas, à Galeno recensentur? Videntur sanè esse compositę imò confusæ, quia confusas causas habent, ad quas curationis confusio sequitur: quippè aliter notha, quàm simplex curari postulat. Quapropter si lex in suo rigore esset obseruanda, febres omnes nothæ, cùm suis exquisitis comparatæ, compositę dici merentur ob compositionem causarum quemadmodum etiam lipyria (vt scribit Isac) commixta dicitur, quoniam componitur ex bile, & viscosa pituita. Attamen vsus obtinuit, vt quoniã exquisitæ raro eueniunt, nothę, simplices nuncupentur, quasi non sint alię simpliciores ex ijs quæ frequenter accidunt. Sed cùm quibus nam cõparabimus has febres, vt respectu illarum hæ simplices habeantur? nempè cùm febribus eiusdem speciei quas duplicatas

esse

esse agnoscimus. e. g. tertiana notha ideo simplex erit, quia duæ tertianæ morbum compositum efficiunt. duas nè tertianas an duplicem tertianam dicas, in Galeni doctrina parum referre videtur; nàm in opere de Crisibus his nominibus videtur indifferenter vti, quod etiam autor libelli de typis facit. Nihilominus non est omnino spernenda Herculani Viri docti sententia ab Amato Lusitano recepta, duas scilicet tertianas à tertiana duplice distingui, tùm quia tertiana duplex fit à materia beliosa, quę vno decidit loco, duæ verò tertianæ à materia quę à diuersis partibus decidit: tùm etiam quia tertiana duplex singulis diebus corripit, correspondens tamen ad suum tertium diem, duæ tertianæ tertio quoq; die bis affligunt. *Cent. 1. cur. 3. in chol.*

Quis morbus sit deterior simplex nè an Compositus.
C A P. V I I I.

Voniam Galenus in semitertiana terminum citius quàm prò more pituitæ, tardius, quàm prò more biliosi humoris fieri dixit seducti sunt aliqui, vt existimauerint deteriorem esse febrem simplicem composita: siquidem quotidiana febris longior est, quàm hæc quæ ex tertiana, & quotidiana componitur. Addunt febrem conuulsioni, & ebrietati superuenientem laudari ab Hippocrate, vti etiam eam, quæ superuenit doloribus existentibus circa hypochondria citra inflammationem. Quòd si aliquis responderet solam superuenientẽ ephemeram, nõ putridam esse quæ laudatur: quippè putrida semper est periculosa, adducunt eundem Hippocratem qui sic ait, *quartana correpti magno morbo*

[margin: 1. diff. feb. c. 8.]
[margin: 2. aph. 26. 4. aph. 5. 6. aph. 4.]
[margin: epid. sec. tex. 7]

morbo non corripiuntur, si verò prius corripiantur superueniente quartana liberantur. Magni morbi nomine *morbum comitialem* intelligit Galenus. At quartana febris putrida est, & tamen, ex complicatione cùm magno morbo, salubrior euadit. Idem etiam in aphorismis, *à quartana*, inquit, *capti non admodum conuulsionibus capiuntur, si verò prius capiantur, & quartana superueniat liberantur.* 5. aph. 60.
His, & similibus nituntur persuadere morbos compositos melioris conditionis esse, quàm simplices, & subinde hemitritęum minus periculosum quàm sit quælibet ex febribus cōponentibus. Verum quemadmodum pronuntiatum hoc, *morbi cōpositi simplicibus sunt salubriores*, vniuersaliter sumptum falsitatem continet, ita etiam in particulari enunciatione hoc est, *aliquis morbus compositus suis componentibus est facilior*, verissimum est. Et nè ab hemitritęo discedamus, profectò hemitritæus non est ex ijs

morbis compoſitis, qui ſuis componentibus faciliores habentur, ſed longe difficilior, quòd ſi Galenus hemitritęum dixit quotidiana eſſe breuiorem, dixit quidem *breuiorem*, ſed non *ſalubriorem*. Imò potius ex ratione, qua comprobat breuiorem eſſe, poſſumus colligere eſſe deteriorẽ: quippe *pugnam in hac febre eſſe*, ait, *quæ terminum nullum habet, donec febris ad ſummum peruenerit*. In hac autem pugna valde contriſtatur æger, natura moleſtatur, continui adſunt horrores, vomitus, animi deliquia, delatio ad ſomnum, & reliqua, quæ ſuperius retuli, vnde merito, ab Hippocrate hęc febris *valde lethalis* appellatur.

Quis nàm igitur morbus compoſitus erit ſuis componentibus melior? nempè ille, qui ſocij malignitatẽ corrigit, non aliter ac duo cibi, teſte Auicenna, poſſunt prodeſſe, ſi alter alterius vitium emendet. Hanc ob cauſam febris conuulſioni, aut ebrietati ſuper-

e. 1 3.1.doct. 2.c.7 5.aph.5 4.aph.57

ſuperueniens laudatur. & ſimiliter quartana quę epilepticum inuadit,& Auicenna ſimiliter autumni pluuias laudat: quia ſiccitatem aeris corrigunt. & Galenus duò temperamenta sè sè mutuò corrigentia laudat, & in arte medicinali oppoſitionem inter cor, & iecur videtur deſiderare. Itaq; ſicut quando sè inuicem emendãt morbi vtiles ſunt, eodem modo, ſi contrarium accidat,omnino timendi. Morbi quidem acuti,cùm morbo chronico, difficilis eſt cõpoſitio: nàm æger ratione acuti nõ poteſt diu perdurare, ratione longi non poteſt citò ſanari, qua propter cùm acutus per sè citò ſanari poſſit, longus verò diu durare, vterq; ſimul nõ durabit,quia acutus non citò ſanabitur, quia longus,quid aliud remanet niſi exitus infauſtus? Hidrops cùm febre deterior eſt, (vt ex Hippocrate licet colligere) quàm hidrops aut febris, quælibet per sè ſolam: quippe alter iſtorũ affectuum, ab altero grauior fit. Ex-

a 1 3. 1. *de regim. tẽpor.* 6. *ſan. tuend. c.* 2 *art. med. c.* 42.

2. *progn.* 1. & 23

cretiones versicolores damnantur: quoniam miscellam humorum nõ sè inuicem corrigentium significant. Demum contraria, quæ sibi inuicem non sunt vtilia, vniuerso corpori sunt perniciosa: vt pote quæ à natura difficulter superãtur, ab arte difficilius. Nàm natura saltem aliquod medium solet reperire quo aduersus contrarietates pugnet, ars verò non vno, sed duobus remedijs contrarijs duo contraria potest ex pugnare, quòd difficillimum inuentu est medico, difficillimum toleratu patienti.

Sumendæ indicationis ratio. CAP. IX.

Qvatuor sũt in arte medica viæ, per quas curando proceditur. Vna est experientia: nempè, vt Galenus ait, *cùm in eodem casu vidimus aliquid iuuare, aut nocere*. Hanc **fallacem* appellat Hippocrates, quæ, si sola sit, nec rationem

de opt.sec. .10.

* .aph.1.

comi-

comitem habeat, ad empiricos est relegãda. Altera *ratiocinium, seu cogitatio, & mentis reuolutio*, quæ si in cõmunitatibus, & vniuersalitatibus consistat, neq: causam, neq; ætatem, neq; anni tempus, neq; regionẽ, nec vires ægroti, aut alia similia contempletur, methodicorum est, neq; omnino recipienda: quippe hi (inquit Galenus) generalem hominem curabant non particularem. Tertia est *cõparatio intersimilia*. Hęc diuersimodè accepta ad diuersas pertinet sectas: si nãq; similitudo fiat in ijs quæ euidẽtia sunt, colligo ex Galeno pertinere tùm ad methodicos, tùm ad empiricos; si verò in abditis, & occultis, ad rationales spectat medicos. *Empirici*, sic referente Galeno, *appellant transitum ad similia, rationales analogismum*. Quarta via est *indicatio*, hac incedunt rationales, seu dogmatici; dogmatici, inquam, laudabiles: dogmaticorum enim plures fuerũt sectæ: quidam dicebãtur pegmatici, omnia

3.meth. c. 7.

Introduct. c. 3. in fin.

de opt. sec. c. 18.

ſpiritibus tribuẽtes; alij Aſclepiadei, qui ab Aſclepiade originem doctrinæ ſumebant; alij qui ab Erophilo Erophilei appellabantur; alij ab Eraſiſtrato Eraſiſtratei. Omnes tamen iſti erroribus implicabantur. Vere dogmatici Hippocratem habent anteſignanum, eorumq; eſt methodus, quam Galenus per indicationem fieri dixit: quippè cùm indicatio à natura rei (ſi Galeno credimus) ſit orta, cùmq; rationales Medici à natura rei auſpicentur, manifeſtũ eſt eos per indicationem procedere debere.

2.meth. c.7.

Tùm ibidem tùm 3.met.c.1.

Quid ſit indicatio.
C A P. X.

Varijs deſcriptionibus, in Galeni doctrina, indicatio declaratur. Aliquando eam appellat *comprehenſionem iuuantis ſimul cùm comprehenſione nocentis abſq; obſeruatione, & ratiocinio*. Aliquando autem, eam dicit eſſe *ſequentis, ſiuè agendi inſinuationem*.

de opt.sec. c.11.

2.meth. c.7.

tionem. Hinc occaſionem acceperũt Galeno maſtiges arguendi eùm, quaſi ſibi met contrarius fuerit: quippe inſinuatio non ſine ratiocinio fit, prę terea *quicquid ab experientia ſeiunctũ eſt,* (vt idem met fatetur) *id indicatio nominatur.* At ſic quidem ratiociniũ non excluditur. Tandem alibi ſic ſcriptum reliquit *empirici per experientiã inueniri omnia contendunt, nos partim experientia, partim ratione, cùm nec illa inuenire omnia queat, neq; ſola ratio.* Quomodo ergo conſtabit methodum, qua vtuntur rationales, eſſe ſinè experientia, & ſinè oſtenſione. Millies idem Galenus medicum, quem inſtituit, hoc eſt rationalem, vt in particularibus sè exerceat adhortatur. *3. meth. c. 1.*

Eſt tamen cur Galenũ ſequamur, eumq; ab his difficultatibus liberemus. Nam experientia quidem, & ratio, tanquàm duò crura quibus tota ars Medica incedit à Galeno deſignantur, & exercitatum ratione virũ *9. meth. c. 6.*

Galenus desiderat, ita tamen in hæc duò non in vnum coalescant, quapropter in ea parte in qua experimento vtitur, nõ procedit vt rationalis, adeo vt si in eo solum cõsisteret, empiricus esset, sed addita ratione, iam vtilitatẽ ab experimento accipit. Sicut è contrario, si in vniuersalibus consisteret, methodicus esset, cùm verò etiam experimentum adiungat, iàm fit dogmaticus, qui in vniuersalibus theorematis methodo, in particularibus vtitur exercitatione. Verum adhuc difficile videtur intelligere qui fieri possit vt indicatio sit *absq; obseruatione & ratiocinio?* cùm medicus semper alterutro indigeat, vel ratiocinio circa vniuersalia, vel exercitatione circa particularia. Profectò quando Galenus ab indicatione ratiocinium, experientiamq; excludit, indicationem intelligit communissimam, quæ plebi, & brutis animalibus communis est, propterea in Methodo medẽdi vbi particulares, artificiosæ, vtilioresq;

reſq; indicationes pertractantur, non addidit *ſine obſeruatione, & ratiocinio.* Neq; verò intelligas magis exquiſitam quàm alias eſſe communiorem hanc indicationem, vt infortunatus quidam exiſtimauit, qui cùm videret Galenum interdum ratiocinium ab indicatione excludere, vt in libro de optima ſecta, interdum admittere vt in opere de Methodo medendi, primò, excuſat oppoſitionem excludẽs librũ de optima ſecta à genuinis Galeni, (quòd ſè rectè facere poſſe arbitratur exemplo Comitis Montani, cui ita ſentire placuit,) deindè adiũgit indicationem, quæ deſcribitur in libro de optima ſecta eſſe magis exquiſitam. Quaſi autor obſcurus, quiſquis is fuit, qui librum de optima ſecta ſcripſit, exquiſitam nobis tradiderit indicationem Galenus verò in opere proprio, hoc eſt, in Methodo medendi ſpuriam, & ab exquiſita deficientem. Dic igitur priores indicationes communiores quidem eſſe,

cùm tamen non ſint artis portiones, nihil ad artificem pertinere, poſteriores maxime, vt potequæ dogmaticorum doctrinam conſtituunt.

Sed ad indicationis definitionem reuertor. Dicitur *comprehenſio iuuantis, ſimul cùm comprehenſione nocentis ſine obſeruatione, & ratiocinio* comprehenſionis nomine cognitionem certam intelligò: indicatio enim (vt vocabulum indicat) quaſi digitò, quid faciendum ſit debet indicare, propterea meritò etiam *inſinuatio* dicitur, hoc eſt, quæ nobis in ſinu reponit veram rei agendæ rationem. Quid iuuantis & nocentis nominè ſit intelligendum non aſſequuntur aliqui exiſtimantes, hoc ita dici quia per indicationem nobis tùm ea quæ vtilia ſunt, tùm ea quæ nocua, repreſentari. Verumtamen quamuis ex vnius oppoſiti cognitione, alterius adueniat cognitio, vtrumq; horum non accipitur ab indicatione. Etenim verè indicatio eſt agendorū inſinua-

tio,

tio, si autem esset insinuatio eorum quæ iuuant, & quæ nocere possunt, non solum insinuaret ea quæ agenda sunt, sed & ea quæ fugienda. Pręterea vnũquodq;, vt Galenus inquit, indicat quòd vtile est, non quòd nocuum, & omne quòd indicat, vel indicat sui ablationem, si est præter naturam, vel conseruationem sui, si est secundum naturam. Est igitur cognitio iuuantis nempè ea quæ nobis aduenit simul cùm cognitione nocentis, hoc est, cùm id quòd nocet postulat agendum esse id quòd iuuat e. g. morbus nocet, & comprehenditur vt indicans, indicat verò sui ablationem iàm ergo simul cùm comprehensione nocentis nempè morbi, comprehẽditur iuuans nempè ablatio morbi. Itaq; *comprehensionem iuuantis, & nocentis* dicimus esse certam cognitionem indicati, & indicantis nẽpè morbi, & ablationis siuè curationis. Cùm verò additur *sinè obseruatione, & ratiocinio*, memẽto hęc verba in libro de

de opt. sec. c. 45.

Castrens. opti-

optima secta esse scripta non verò in Methodo medendi. Nàm in libro de optima secta contra methodicos argumentabatur, qui in communitatibus cõsistebant, ac prò indè voluit demonstrare communissima hæc indicare quidem, *indicationem verò quę ab his sumitur non esse artis portionem, sed* (vt idem alibi ait) *principiũ & carcerem, seu incitamentum vnde medendi ratio promouet, vt quæ plebi etiam sit communis*. Sed quid plebi? brutis etiam animantibus (eodem teste) *quippè animantia ratione carentia æstum, algorem, simulq; omnia nocere valentia, quo ad fieri potest, vitare conantur, simul videlicet eo quòd iuuat sè sè offe rente: paxillum enim, aut aliquid aliud in membrum defixum nulla cogitatione præmissa reuellunt*.

3. meth. c. 1.

de opt. sec. c. 4. & 10. meth. c. 24

Com-

Communissimæ indicationes.
CAP. XI.

TAnquàm communissimũ principium per sè notum accipere oportet vitam esse, quæ sui custodiã indicat, hoc autem quis est qui nesciat? itaq; vita est primum indicans, indicat verò sui custodiam, ad quàm pertinet indicatio sumpta à viribus. *Nàm, neq; vt valeamus* (inquit Galenus) *neq; vt à morbis liberemur, ab ea quicquam primum desumimus, sed vt viuamus*. Quàpropter vitalis indicatio, hoc est, pertinens ad vitę custodiam, non est ex numero curatricum indicationum, nisi ex accidẽte, vt inferius declarabo, iccirco indicatio sumpta à viribus prima omnium est, atq; dignissima. Quoniam autem vitæ custodię inseruimus quoties aut sanitatem pręsentem conseruamus, aut morbum profligamus, ex illo primò principio alia duo, etiam commu- 9.meth. c.13.

nissima,quamuis priore minus communia, deducuntur nempè curatio morbi per contraria, conseruatio sanitatis per similia. Iàm igitur duæ oriuntur communes indicationes, vna similium, quæ sumitur à sanitate, altera contrariorum quæ à morbo. Et quoniam morbus ablatione suæ causę tollitur,fit vt curatrix indicatio diuidatur in propriè curatricem quæ accipitur à morbo & pręseruatricem quæ à causa. In his omnibus medicus nihil à plebe differt: quis enim est, qui nesciat morbum esse tollendum, & causam eius extirpādam, & rursus sanitatem conseruandam,& ante omnia vitam custodiendam, viresq; aut robustas retinendas,aut lapsas reficiēdas? Profectò nec vulgus,nec bruta animantia hæc ignorant, nec solum agnoscunt morbum esse curandum, sed talem morbum per talia contraria e. g. calidum per frigida, frigidum per calida.

Variæ indicationes artificiosæ.
C A P. XII.

VIdisti non artifici tantum sed & plebi, & animantibus communes indicationes, si verò vlterius per gas iam id quòd artis est, attinges, videlicet ea quæ remediorum mensuram docent. Sic vires, quas ex accidente morborum curationi conferre dixi, conferunt, sic & temperamentum, & aer ambiens. Iàmq; Galenũ à calumnia liberasse videmur, qui in methodo, vbi curandi viam ostẽdit, eas indicationes pertractat, quæ maximè vtiles censentur. Has ad tres redigit ad eam quæ à morbo, ad eam quæ à corporis temperamento, & ad eam quæ ab aere nos ambiente desu mitur. A morbo, dixi, non vniuersaliter sumpto, sed cùm conditionibus de quibus mox dicam. Hæ tres indicationes, in plures alias subdiuiduntur: morbus enim vel consistit in

9.meth c. 14.

intemperie, vel in compositionis vitio, vel in continui solutione. Vnusquisq; rursus vsq; ad vltimas differẽtias diuidi poteſt: quia *tot ſunt medẽdi rationes* (Galenus ait) *quot sũt morborum ideæ*.

Desumuntur autem indicationes à situ, & à loco, quę maximi momenti sunt: à situ enim sumpta indicatio remediorum efficaciam augendam, aut minuendam demonstrat: siquidẽ quæ ad interna debent accedere vim maximam habeant eſt neceſſe, quæ vero exterius consistunt opus eſt vt sint leuiora. A loco indicatio sumpta si tollatur, tota ars poterit nõ sex mensibus, vt dicebat Theſſalus, sed

13.meth. 20. sex diebus (vt Galenus ait) addisci. Referatur ergo indicatio hęc ex parte affecta, ad indicationẽ, quę à morbo sumitur.

Altera indicatio, accipitur à temperamento, temperamentum vel eſt innatum, vel ascititium vel fit per ætatem, vel per consuetudinem. Non

deeſt

deest qui consuetudinem nihil indicare existimet, quippe consuetudo iàm transijt, vt transierunt causæ pro catarcticæ, quæ iccirco (ex Galeni testimonio) nil indicant. Cæterum consuetudinem, alteram naturam, appellant Medici, & sicut à natura, hoc est, à naturali temperamento, ita & à cõsuetudine sumenda est indicatio. 4. meth. c. 3.

Neq; verò cùm causis externis est comparanda, melius eam comparat Galenus cùm ætate, non quam æger prius habuerit, sed quàm nunc habeat: causæ externæ, tanquàm apes, relicto aculeo perierunt, cõsuetudo adhuc remanet, habetq; vim magnã in indicando. 11. meth. c. 3.

Tertia indicatio, quæ accipitur ab aere nos ambiente, comprehẽdit regionem, anni tempus, & varios astrorum aspectus, quos Hippocratem obseruare solitum scimus, vt Ortum, & Occasum pleiadum, & similia. Quamuis autem tres dicamus indicationes, nihilominus harum duæ, videlicet,

quæ à temperamento, & quę ab ambiente accipitur, inseruiunt vni nem pè ei, quæ sumitur à morbo: neq; enim potest morbus curari nisi per sibi proportionata auxilia, hoc est, æqualiter contraria. Vt autem hæc proportio, seu ęqualitas innotescat, & sciamus quę nam remediorũ quantitas expostulatur, quantitatem morbi, magnitudinem, inquam, cognoscere oportet. At quoniam magnitudo morbi per recessum à naturali statu ostenditur, naturalis status, hoc est status, qui erat tempore sanitatis, potius sani hominis temperamentũ, cognosci debet, & hoc quidem perquàm difficile est, vt Galenus lamentatur; Quàpropter temperamenti cognitionem ex aeris statu, in quò æger degebat possumus venari, atq; ita & temperamentum, & aer conferunt ad cognoscendum naturalem statũ, quò cognitio recessũ ab eo cognoscimus, cognita recessus magnitudine, remediorum quantitas innotescit, *quæ*, vt

Galenus

Galenus ait, *maximè coniecturalem facit artem medicam*.

Cùm dico magnitudinem morbi cognosci ex recessu à naturali statu, Galenum habeo autorem, qui magnitudinem remediorum metitur iuxta magnitudinem morbi, magnitudinẽ vero morbi iuxta magnitudinem recessus. Obstat tamen quòd idẽ met magnitudinem duplicem statuit vnã ratione propriæ substantiæ, alterã ratione recessus à naturali statu. Imò alibi triplicem agnoscit primam ex præstantia læsæ partis, alterã propriæ essentiæ ratione; tertiam ratione cachoetiæ, videlicet ob affectam partẽ quæ corpus nostrum gubernat: idem enim est affecta pars princeps per cõsensum, & cachoetia. Alibi etiã morbi magnitudinis mensuram à viribus accipit. Solues tamen hanc difficultatem considerans morbum quidem esse effectum præter naturã, & ideò eius magnitudinẽ consistere in recessu à naturali statu, quòd cùm à parte

11 meth. c.13.

7. met. c. 12. & 4. met. c.6

de morb. temp. c.5

rei ita sè habeat, nihilominus quò ad nos multoties melius cognoſcitur magnitudo morbi ex virium improportione, ex læſarum actionum præſtantia, ex cachoetia, quæ facultates corpus noſtrum gubernantes offendit, & ex propria etiam affectus eſſentia.

Quoniam verò dictũ eſt remedia debere eſſe morbo æqualia exiſtimaret aliquis hoc ineptè dictum: ſiquidem ab æquali contrario nulla fit actio. Verum hoc ita eſt in ea actione in qua victoria conſiſtit in aſſimilatione paſſi ad agens. At in curatione nõ intenditur hęc victoria: nàm ſic ex vnò morbo in alium traduceremus ægrotantem, attenditur duntaxat medium quoddam, quòd inter duò contraria æqualia acquiritur; vt e. g. in reducenda aqua ad teporem: reducetur enim ſi ęqua ſit frigidę, & calidę quantitas. Aliter etiam dici poteſt remedium habere naturam adminiculantem, ac prò indè licet morbo æquale in gradibus ſit, remanet

manet superius ex societate adiuuantis naturæ.

Quomodo vires indicent.
C A P. XIII.

SEd quoniam quomodo vires indicent medicturũ pollicitus sum, libet id nunc explicare: indicãt quippè ex accidente, quòd Galeno acceptum referò: cùm enim illè dixisset primam indicationem esse, quę à viribus accipitur, adiungit. *Verum non sic prima, vt quæ curationem doceat,* & causam reddit, *nàm neq; vt valeamus, neq; vt à morbis liberemur, ab ea quicquam primum desumimus, sed vt viuamus. Additum in sermone est illud primum: quoniam ex accidente aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit.* Post multa verò quomodo vires ex accidente indicẽt, in hunc modum declarat. *Siquidem quòd putrescit si vestis esset, aliuduè inanime corpus vtiq; ex ijs duntaxat,*

9.meth. c.13.

11.meth. c.9.

quę prędicta sunt, indicationem caperemus. Nunc cùm in viuente corpore putredo concipitur, quòd tùm alterari potest, tùm concoquere, tùm vtile reddere quicquid putrescētium, veluti semi putrescens, seminalum est, vtriq; facultatem eius, qua naturaliter concoquit, excitans, firmansq; quæ putrescentia sunt, sanabis hactenus illè. Virtus itaq; ad curationē indicat, quatenus ipsa morborū est medicatrix, & prò indè qui virtutem roborat, medicatricem adiuuat, & morbo medellam applicare videtur. Hoc de naturali virtute duntaxat intelligitò.

Quid indicans, indicatum, indicatio, coindicatio, contraindicatio.
C A P. XIIII.

Porrò tria sunt cognitù necessaria, indicans, indicatum, & indicatio. Indicans est scopus, siuè propositum; indicatum verò id, quòd etiam postulatum communiter dici solet.

ſolet. e. g. morbus eſt indicans, indicat ſui abl tionē vnde ablatio eſt indicatum, id verò per quod indicatur indicatio eſt; quæ aliquando coindicatio; aliquando contra indicatio nũcupatur. Cæterum de coindicantibus, & contraindicantibus cùm Argenterio decertandum eſſet: quippè vocibus his ad libitum vtitur, idtamen ei condonemus, nè in Galeni ſæpe repetitam reprehenſionem incidamus, qui queſtiones de nominè ſolet damnare. Exiſtimat Argenterius coindicans eſſe id, quòd nõ primo, ſed aliò loco, ſiuè per accidens oſtendit, quòd monſtrat ipſum indicans, quomodo vires indicare dicuntur, temperies verò corporis, ætas, ſexus, cõſuetudo idem coindicare, quòd ſcilicet oſtendant qualis ſit virium conditio, quarum interuentu, non primo, nec per sè victus rationem declarant. Contraindicans eſſe ait, quòd primũ impedit fieri id, quòd ab indicante ſuggeritur, veluti in euacuatione,

quàm multitudo humoris oftendit contraindicans erit virtus, quæ propriè, & ĩmediatè, si infirma fuerit, illi reluctatur vt potèquę magis quàm alia omnia, quæ in nobis, secundum naturam, exiftunt, à vacuantibus profternitur. Vocat præterea correpugnantia ea, quę secundo loco indicãtibus sè sè opponunt, qualia funt in vacuatione ætas, fexus, corporis habitus, anni tempus, & cętera huius generis, quę, quoniam vires infirmes monftrant, ideò euacuationem non admittunt, aut faltem moderant.

Sic vtitur vocabulis Argenterius; attamen, quòd ex Galeno colligi poteft, & in communi Medicorum fchola recipitur eft, contraindicans dupliciter dici, vel quia contrario modò indicat id idem quòd ab indicãte directè indicatur; vel quia contrariũ ei quòd indicatur indicat. Si indicat cõtrariò modò, dicitur etiã coindicans, fic quando morbus euacuationẽ indicat, vires robuftę eam tolerant, & nõ

prohi-

prohibent, dicuntur contrariò modò indicare, & propterea sunt coindicans, vel contraindicans. Contrariũ indicare dicitur id quòd prohibet id facere quod ab indicante indicatur, ita tamen vt omne id quòd contrariũ indicat sit prohibens, non tamen omne prohibens sit contraindicans. Nàm vt aliquid sit contraindicans debet etiam posse aliquando indicare e. g. si vires, aut temperamentum, ętas, aut anni tempus missionem sanguinis impediant dicuntur contraindicantia, quia hæc omnia iàm diximus posse etiam indicare. Verũ prohibere quidem possunt aliqua quæ nunquam indicant, & subinde contraindicantia non dicuntur, vt si pater aut dominus, aut negotia penitus necessaria prohibeant medicamentum assumere, quodlibet horum erit impediens, aut prohibens, non autem cõtraindicans.

Licet morbus pręcipuum sit indicans, possunt nihilominus vires ali-

quando præcipuè indicare coindicãte morbo, vt si vires imbecilles expostulent largiorem victum, morbus (quoniam est in declinatione) eum toleret, vires, in hoc casu, indicant, morbus coindicat. Rursus possunt vires indicare morbus verò contraindicare, hoc est, contrarium indicare, vt si vires sint debiles, & indicent augendum cibũ morbus verò in accessione eum prohibeat, in statu etiã eum augeri non permittat. Ceterum quando morbus expostulat auxiliũ magnum, quòd a viribus toleratur, tunc vires coindicant, hoc est, contrario modò indicant, quando autem uires non tolerant tunc uires cõtraindicant, hoc est prohibẽt, & impediũt.

Quæ fuerit Galeni mens in complexu morborum. C A P. XV.

SEd age iàm qũo sè gerere debet medicus si varij simul morbi cõ-

plicen-

plicentur ex Galeni fontibus hauriamus. Tria ſunt, quæ ille in affectuum complexu conſideranda proponit. Primo loco *id à quò maximè diſcrimẽ ægro impendere videatur:* vbi namq; à quolibet affectuum non leue periculum inſtat, *ad id quòd vrget* dirigi curatio debet. Circa hòc perpendendam eſſe admonet affectuum magnitudinem, quam triplicem ſtatuit, vnam, quæ ex læſæ actionis præſtãtia ſpectatur; alteram, quæ ex propria affectus eſſentia; tertiam, quæ ex facultate corpus noſtrum gubernante æſtimatur. Singula exemplis illuſtrabo. Decidat humor à capite tùm in articulos, tùm etiam in oculos, vt cæcitatis immineat periculum. Nobiliſſima videndi actio periclitatur, & ex læſæ actionis præſtantia, accipitur morbi magnitudo, propterea fluxioni, quæ ad oculos tendit, tanquàm præcipuo affectui, incumbere oportet. Deindè ſi ex cerebro in ventriculũ ſuperfluus humor decidat, atq; *7.meth c.12.*

huius occaſione, contracta iàm ſit in ventriculo frigida quędam intemperies, & adhuc magis ſuccus prauus per totum corpus media ſimilarium partium ſpatia occupauit. In his affectibus in temperies eſt, ad quàm animum magis dirigere oportet: quippè intemperies eſſentiæ rationem obtinet, & circa eſſentiã affectus eiuſdem magnitudo conſideratur. Tertio ſi idem ſuperfluus humor non ſolum in ſubiectas decidat partes, ſed præterea in ipſo cerebro perſiſtẽs rectrices facultates, videlicet memoriam, aut imaginationem, cogitationem uè vitiet, tunc facultatis totum corpus gubernantis ratione, magnus eſt morbus, quo cerebrum afficitur, eiq; præcipuè medicatrices manus ſunt imponendæ.

Secundum obtinet locũ id, quòd sè habet vt cauſa e. g. ſi affectus ventriculi eò deuenerit, vt cardiogmos, hoc eſt, Oris ventriculi morſus appelletur, quoniã humor prauus mor-

dicationis ſenſum efficit, ſequatur etiam animi defectus, & ſudores reſoluentes, & noxa ſuperet vires. Conſtat ex prius dictis primam eſſe adhibendam curam ad id, quòd vires reſoluit, ſed quoniam hòc quòd magis vrget, magnum eſſentiæ ratione conſtituimus, ei prorſus incumbendum. Deindè vbi iàm hòc mediocriter sè habuerit, accedemus ad cauſam, hoc eſt, ad fluxionem, quæ fit à capite. Habes igitur caſum, in quò prius occurrimus magis vrgenti, deinde cauſæ.

Tertio loco videndum eſt, quæ ſanari ante alia poſſint, & quæ non poſſint, (appellant Medici conditiones ſinè quibus non) & tunc ab eo, quòd ordo dictat incipere oportet: nempè *quid ante quòd, vel quid cùm quò, vel quid poſt quòd* ſanari queat. Accipitò vlcus cùm phlegmone complicatum, vlcus redditur maius ab eò remedio, quòd phlegmon ſanat: quippè vlcus, qua vlcus (ex Hippocra-

Hipp. de vlcerib. in princip.

tis doctrina) exsiccantia postulat, phlegmō suppurantiā desiderat,quorum vsu ampliatur vlcus. Rursus impossibile est vlcus sanari, manēte adhuc phlegmone. Postulat curationis ordo vt à phlegmone ordiamur sic admoniti à Galeno quòd inferius tractabimus.

4.meth. c.2.

De ijs quæ vrgent.
CAP. XVI.

TAnquàm hypothesis, aut indubitatū axioma recipitur ab omnibus, id quòd Galenus frequenter inculcat, videlicet ad id quòd magis vrget animum præcipuè conuerti debere. Hoc tamen ego adhibitis conditionibus circunscribo. Vrgendi plures sunt gradus, iuxta quos Medici animus ad occurrendum, succurrendum vè magis, aut minus mouetur. Si malum valde vrgeat, ægrumq; in præceps agat (quòd ferè symptomatum est proprium) curatio conuenit

præſentanea, cogente metu, quàm ic circò coactam dicimus, quòd ſi non ita fiat, paulo poſt non erit remedio locus. Coacta iſthęc curatio nec prę-cedentes præparationes, nec ablatio-nem priorem cauſæ, nec alias medi-cas normas expectat, ſed nullo obſer uato ordine, quò neceſſitas nos tule-rit eundum, & quòd iàm iàm interfi-cere eſt paratum prò virili ſuperare tentabimus. Hoc multoties cùm no-xa ægrotantis fit, ſed quid? præſtat præſens euadere periculum, poſtea il latam noxam ſi poſſibile fuerit, reſar-ciemus; ſin impoſſibile, culpa vaca-mus, quando ex priore malo in exi-tium certum æger incurrebat. Huius cenſus auxilia ſunt quę narcotica, & alia quę ſoporifera appellantur. Si dolori recta methodo medeamur, cauſam auferre conabimur, idq; tē-poris fiet ſpatio. Si verò dolor ingra-ueſcens moras non patiatur, tunc co-gimur momentò temporis ſenſu par-tem dolentem priuare adhibitò nar-

 cotico

cotico medicamento, vt saltim sic vires conseruentur ægro nõ sè amplius præ dolore iactante. Attamen hæc curatio non caret periculo: nam pars sensu priuata patitur, ob frigiditatem narcotici, inopiam caloris, ac subindè abit in gangrenam, & non multò post in sphacelum. Similiter phreniticus longis, & continuis vigilijs, furiosisq; motionibus iàm penè resolutus non curabitur vera methodo, quæ tẽpus requirit, sed Medicus à vehementia mali coactus ad somnifera quę quietem inducant confugiet. Hinc multoties sequitur lethargus, & priore malo sedato, ad aliud nouum, quòd medicamenta excitarunt conuertimur. Neq; verò cùm sola suspicione futuri mali curam coactam molimur, sed aliquando etiam cùm certitudine. Vt si puncto musculi capite, conuulsio, quę nulla conuenientium medicamentorum vi remittatur, superueniat, cogimur totum musculũ per transuersum præscindere, licet

certò

certò scimus aliquam particulã motu priuatam remansuram. Neruum etiam punctũ, si conuulsiones, & deliria comitentur, totum per transuersum secamus, sed non sine graui, exsectione, damno. Ad eundem modum cùm è vena, vel arteria sanguis immodicè profluit, totũ vas per transuersum secari iubemus, & ita periculum, quòd ex profluuio sanguinis impendebat effugimus, manet tamen vulnus insanabile.

Si verò malum vrgeat quidem, cęterum non omninò præcipitosè, sed ita vt aliquas curationi inducias præbeat, tunc vera methodo peragenda curatio est, curationem hanc regularem appellamus, vt pote quæ iuxta artis regula fit. Vnum hoc loco moneò nè medicum deterreãt ęgrotantium querimoniæ: præstat enim, cùm Galeno, *laborantis ingenium prius, cùm rectè valebat, agnoscere*. Si verò ad ignotum accedamus, amicos, & consanguineos interrogare. Timidi ali- *6. epid. sec. 2. com. 43.*

qui sunt, & valde delicati: propterea imponũt Medico: quippè minus vehemens, est malum quàm vt possit à recta curationis via animosum Medicum distrahere, & ad coactam curationem trahere. Multa namq;, prius quàm prædictę coactæ curationi incumbamus, sunt à nobis consideranda.

Rursus expẽdere oportet id quòd vrget duplicè nominè vrgens dici. Primo cùm grauis noxa iàm pręsens adest, quæ mortem accelerat, vt in febribus cùm syncope, siue sint ob crudos humores, quas Auicenna *syncopales humorosas* appellat, siue ex suc corũ tenuitate, quas idem vocat *syncopales minutas* de vtrisq; loquitur Galenus, & in vtrisq; præsens est malum quòd grauiter vrget, & ad sè trahit curationem, nempe syncope.

[margin: … 1 … 1.4. *tract.* … 1.c. 53. & … 54 … 12. *meth.* … c.4. *cùm sequent.*]

Secũdo vrget id, quòd licet in pręsens non opprimat, nihilominus horrendum aliquid in futurum minatur. Vt si quis cùm febre, aut catarrho,

aut alio quouis affectu, salsuginem in sputo sentiat, sputi rationem præcipuè habere debet. At nil vrget in præsens. ita est, vrget tamen in futurū hoc est pollicetur insanabilia pulmonis vlcera, & sub indè Phthisin. Exemplum, quò explicatur tùm id quòd in præsens, tùm id quod in futurum vrget, habemus apud Hippocratem dicentem. *Quicùmq; refrigerati sunt excalefacere oportet exceptis ijs, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est*. Si refrigeratio sit simplex suo cōtrario, hoc est, ex calfactione curatur, sin est cōposita cùm alio affectu qui vrgeat, tùnc non cōuenit excalfactio. Affectus qui vrget vel est presens, *quibus* videlicet *sanguis fluit*, vel futurus, *quibus fluxurus est*, nimirum quibus adsunt fluxuri sanguinis indicia, vt sunt lacrymæ spontaneæ, rubor faciei, manus tremulæ, dolor capitis, & reliqua accidentia, quæ habentur apud Hippocratem in prognosticis.

5. aph. 19. — 3. prog. 33.

De ijs quæ turgent.
C A P. XVII.

EX nimia diligentia, qua Hippocrates vtitur in euacuanda materia turgente, neceſſariò colligimus eam ſemper, ex natura ſua vrgere. Regularis curatio iubet vt grauidæ mulieres à medicamento purgante abſtineant, à quò in periculum aborſus incidunt,& tamẽ iubet ille, ſi materia turgeat, vt gerentes vtero purgẽtur, quæ nàm poteſt eſſe magis coacta curatio? Ad exhibendum medicamentum purgans iubet vt prius corpora fluida fiant, & materia non niſi concocta euacuetur, & tamen ſi turgeat vult euacuationem eadẽ die peragendam eſſe, non nè & hæc coacta curatio eſt? Interrogabis fortaſſis nũ turgens materia ſit ex ijs,quæ in præſens, an quæ in futurum vrgent? Hoc explicabo, paulo altius principiò ducto.

Valeat in primis Ludouicus Mercatus, cuius nouum inuentũ in re nihili, nihil placere poteſt. Contendit ille humorem nõ eſſe qui turget, ſed naturam. Sic plantas in vere turgere dixit Theophraſtus, hoc eſt, germinãdi appetitu concitari. Ariſtoteles quadrupedum fœminas, ait, ad concubitum turgere. Hippocrates, cùm pus copioſum ex vlcere excernitur, partẽ turgere inquit, & ibi Galenus turgere idẽ eſſe ſentit, ac ad excretionẽ feſtinare. Poſſet adducere Cornelium Celſum, qui de vomitu verba faciẽs, inquit, *niſi natura id popoſcerit, & turgens ad vomitum fuerit*. *6. de hiſt. animal. c. 8.* *3. de fractur. te. 18*

Meminiſſe tamen debuerat à Galeno non ſemel eſſe dictum, verbũ turgere propriè de animalibus, quæ ad coitum rapiuntur, dictum eſſe, translatum vero ad eas, quæ celeriter mouentur, & properãt ægritudines. Dicamus ergo in propriò ſignificatu naturam turgere, translatitie autem turgere humores. Vulgus medicorum, *1. criſ. c. 9.* *1. aph. 22*

Caſtrenſ. e inquit

inquit ille, humores turgere dictitat. Vah quàm imprudens, impudēs vè sermo iste est. Hippocrates nè, & Galenus vulgus sunt? Immò primates. At Hippocrates, & Galenus humores
4. aph. 1. turgere dictitant. Audite Hippocratem, *vtero gerentes sunt medicandæ à*
4. aph. 10 *quarto vsque ad septimum, si materia turgeat.* Et rursus, *Medicari in valde acutis, eadem die si materia turgeat.*
lib. quos & quando Non dissimiliter Galenus loquitur, qui *turgere humores* ait, *cùm concitati sunt*, Et iterum *turgente materia præparationi non esse locum*. Cùm * etiam
* 8. de composit. medicam sec. loc. c. 3. *turgere, hoc est, ad excretionem moueri dixit*, de humoribus venit intelligendus: quippè hi sunt, qui mouentur, natura quæ mouet.

Relicto igitur, cùm sua inanitate, Mercato, quæro, vbi nàm humor turgeat, num in venis, an extra venas? Mihi sane vtrobiq; turgere videtur, neq; aliter ita graue esset, quòd à turgente materia sit, malum. Si verò dicas non posse extra venas materiam

tur-

turgere, impediente celeritatem motionis anguſtia venarum. Reſpondebo bilem ſubtiliſſimam per habitum corporis moueri poſſe, vt indicat rigor, turgens autẽ materia biliosa eſſe ſolet. Vapores etiam à materia conſiſtente eleuati turgere dicuntur, poſſuntq; vel per anguſtiſſimos tranſire meatus. Vtrumq; tàm humores, quàm vapores complexus eſt Galenus inquiẽs, *ab inordinata humorum, & ſpirituum agitatione laborantis ſenſum irritari*. Si rurſus alius obijciat nõ poſſe humorem turgere intra venas: quippe ſenſu carent, teſte Galeno, at vbi ſenſus deeſt, nec dolor, nec titilatio adeſſe poſſunt, ego ſic obiectioni ſatisfaciam. Turget quidem humor intra venas, eaſq; inflat, & diſtendit, adeò vt membrana venas exterius veſtiens, quæ ſenſu pollet, propter diſtenſionem doleat.

1. criſ. c. 9.

6. v ſupat. c. 12.

Sed quænàm requirũtur vt humor dicatur turgens? Quatuor mihi videntur neceſſario requiri. Primum,

vt concitato motu agitetur: aliàs materia, quæ lentè,& leniter fluit,inducias præbet, nec eſt cur Hippocrates eam *eadem die* educi iubeat. Rectè propterea Galenus *concitari*, ait *& turgere humores, cùm motu vehemente agitantur*. Et alibi, *humores ad exitũ paratiſsimos,& ad euacuationẽ properã tes, hac voce, turgere,intelligendos eſſe*. Deniq; id indicat vis metaphoræ: ſi enim humores dicũtur turgere ſumpta ſimilitudine ab animalibus, quæ turgent ad coitum, cùm animalia turgentia furiosè moueantur, humores turgentes furiosè moueri debent.

lib. quos & quando

6. epid. ſec. 2. com. 9.

Alterũ quòd requiritur eſt, vt materia ſit multa: quippe ſi fuerit pauca, nec vapores è ſè emittet, qui vniuerſum corpus titillationibus, mordacitatibuſq; vexent, nec vaſa ita diſtendet, vt doloris ſenſum afferat: dolor namq; fit, vt Galenus ait, *diſtentis, pre plenitudine, particulis*. Itàq; iure optimo Galenus inculcat, *turgentium agitationem eſſe ſuper abundantium humorum*

de plenit. c. 10.

1. criſ. c. 9 & 4. aph. 1

rum motum, vt scilicet significet hoc secundum quòd requiritur, nempè humorem debere esse multum, si dicendus est turgens.

Tertium nè humor, qui mouetur, ad certũ aliquem locum moueatur: si namq; determinatam haberet viã, catarrhus, & arthritis turgentium humorum soboles dicerentur, quò ineptius nihil dici posset. Rectè ergo à Galeno est dictum, *turgentes humores nondum ad certam aliquam sedem impetum habere, & consistentiam*. & rè vera si ad certum, determinatumq; fluerent locum, non ita solicitus esset Hippocrates de eorum, in eadẽ die, eductione. *8. compos. sec. loc. c. 3*

Quartum vt malignam habeat naturam: nàm aliter humores etiam cõcocti, & à natura edomiti, cùm crisis instat, agitantur, sed turgentes non dicũtur: quoniam à natura victrice, per loca conferentia, sunt educendi: quippe natura, postquam humores concoxit, quasi uictrix exultat, eosq;

uictos, uinctosq; possidet mittendos quocumq; velit. Maligni è contra naturam oppressam habēt, possuntq; propterea quocumq; libuerit sè sè conferre, & ob venenatam naturam cor aggrediuntur infelicem exitum pollicentes.

Rectè igitur quatuor hæc requisita nos docent id quòd initio quærebamus, nempe an turgens vrgeat in præsens, an in futurum? In primis secundum, & quartum ostendunt futuram spirituum, viriumq; resolutionem, quæ accidet tùm propter dolorem in secundo requisito commemoratum, tùm propter venenatam qualitatem in quarto: veneni nàmq; proprium est spiritus lancinare, eorumq; vim, & facultatem extinguere. Primum requisitum nobis proponit futurum periculum ob calorem auctū ex violenta, citaq; agitatione. Tertium requisitum, & quartum metum ingerit nè ad membrum princeps materia deturbetur. Hæc tria pericu-

la complexus est Galenus admonens turgēte materia statim, ex Hippocratis decreto, ad medicamentum purgans confugiendum esse, *ante quam vel virtus vitiata fuerit, vel febris caliditas aucta sit, vel ad membrum principale decubuerint ij, qui per corpus vagantur humores*. 4. aph. 10.

Constat ergo citam, celeremq; euacuationem, quę turgente materia fit, esse prouidentiæ opus, hoc est, fieri propter futurum malum. Nàm postquam aut vires dissolutæ sunt, aut febrilis ardor auctus, aut membrū princeps valdè occupatum, frustra medicamentum purgans exhibetur. Frustra quidem, quoniam & virium debilitas pharmacum euacuans non tolerat, & calor multus, exhibito medicamento purgante, amplius accenditur; si autem membrum princeps valdè laboret, mors instat, vnde Medicus si tùnc medicamentum purgans exhibeat incidet in calamitatē, quàm turpem appellat Hippocrates, inquiens, *libell. de medic. purg.*

quiens, *turpis est calamitas ægrum ab epoto medicamento mori*.

Sũt quidam plus nimio scrupulosi qui materiam iàm membrum princeps occupare incipientem non turgere inquiunt: quippe ad certum locum deducta est, purgandam tamen esse, more turgentium, eadem die: quia si turgentes humores, illico nulla expectata coctione, purgamus timentes nè in aliquòd ex principalibus membris dilabantur, quanto magis illos, qui iàm dilabuntur. Verum non est quare hos è turgentium numero excludamus. Turgentes dixit Hippocrates purgandos esse eadem die, hi qui antea errabant, & iàm certum locum tenent, quemadmodum non excludũtur à purgatione eadem die, sic nec à turgentium appellatione. Præcipuè quia isti sua irrequieta natura possunt à membro principali, quò inclinant, aliorsum remeare. Vidimus aliquos ab Orci faucibus ereptos, quoniã cùm natura iàm quasi

manus daret, rursus suscitata vel à sè ipsa, vel à potente alexipharmaco, materiam extra membrum princeps destrusit, deniq; materia ista membrũ principale occupans, si turgens vere non dicatur, saltim reductiuè ita dici quid prohibet? Purgatio horum humorum, qui iàm adoriuntur membrũ princeps, non amplius est præseruatio, sed vera prę̨sentis mali curatio. Considerare autem oportet, an æger possit vim mali, & laborẽ euacuationis tolerare.

Verum difficultas circa prædicta sè sè offert: nàm purgans medicamẽtum tantum abest quòd auertat à mẽbro principali, quin potius materiam ad principale detrudit, nempè ad iecur, dicente Galeno, *omne corpus per iecur purgari: quippè iecur non solum sua ipsius excrementa, saniemq;, & humores præter naturam in ventrem demittit, sed etiam corporis totius, quãdò quidem per illud omnibus corporis par-* 2. prog. 13. & 14.

tibus venter copulatur, ac per illud recipit excrementa earum.

Verumtamen considerare oportet aliud esse humores suopte impetu in aliquam partem decumbere, aliud trahi à medicamento purgante vt expellantur. Decubitus, vt ipsa vox sonare videtur, moram secum portat, ac proindè humorum ad membrum princeps decubitus timendus est. Secus de humore, qui trahitur à medicamento: nàm iste non immoratur sed transit, at momentaneo transitu non potest nocere.

Hæc respõsio adhuc ex vtraq; parte accusari posse videtur. Etenim ad id quòd diximus humorem ad membrum princeps deductũ, si ibi immoretur, nocere. Aliquis in contrarium dicet, fluente sanguine per narem dextram, cucurbitulã hepati vtiliter applicari, qua sanguis ad iecur nõ indè transmittendus, sed potius immoraturus trahitur. Etiam in animi de-

liquijs

liquijs ſanguinem & ſpiritus ad cor cōuocamus. Quò ad aliud verò quòd addidimus humorem, qui tranſit non nocere, obſtat Auicenna, qui dum lo- a
quitur de medicamento purgante ha 4.1.tr. 1.
bet hæc verba. *Et caue tibi nè tranſi- c.1.*
tus ſupra principale fiat, quòd à Gale 1.aph.21
no accepiſſe videtur dicente, *eductionem humoris ad loca non conferentia eſſe quando ea loca habuerint ſuaptè natura principatum*.

Ad primam obiectionem ſic reſpō deo, humor ſi benignus eſt, vti sāguis purus, & ſpiritus, cùm vtilitate ad membrum princeps vt ibi commoretur, deducitur. Non nè cor animi deliquio conflictatum ſanguine, & ſpiritibus ad ipſum confluētibus corroboratur, & recreatur? nō nè iecur, pauco ſanguine cucurbitulæ ſuctione ad illud attracto, robur acquirit? maximè. Prauus autem humor nūquam deducitur ab arte vt in membro principe commoretur, niſi ſi cogamur à magis principe, ad minus princeps,

vt à corde, aut cerebro, ad iecur, vel teſtes, materiam trahere. nàm tunc (quia aliter fieri nequit) ſpe maioris boni, poteſt hoc tolerari.

Ad ſecundum dicũt Auicennæ interpretes, tranſitum per membrum princeps eſſe cauendum, per membrum, inquam, princeps, hoc eſt, per cor, non autem per iecur. Hanc expoſitionem laudo: tùm quia ſi cauendus eſſet tranſitus per iecur, nũquam conueniret purgatio: ſiquidem omnis purgatio electiue trahẽs fit à corporis particulis ad ventrem tranſeundo per iecur. Tùm etiam quia licet cor, vitę fons robuſtam expultricem à natura habeat, ac propterea videretur alicui ſecurius per illud dari materiæ tranſitum, nihilominus eodem iure videlicet, quia eſt vitæ fons, à qualibet minima re præternaturali grauiter offenditur. Vnde vapores putridi ſi ad cor aſcendant ibi palpitationes ſyncopas, anxietates, & alia grauiſſima mala efficiunt; ſi ad iecur

aſcen-

ascendant nihil istorum accidit.

Sed posset alius dicere transitum materiæ putridæ per cor non esse nocuum: quippe Galenus vidit ęgrum, qui pus ex vomica in pulmone rupta per vrinā excreuit, quod, vt ipse met affirmat, fieri non potuit nisi transeū-te pure per sinistrum cordis ventriculum. Matthiolus in epistola quadam ad Iulium Alexandrinum, Galenum hac in re siue erroris siue falsitatis insimulat. Iulius tamen Alexandrinus optimè Galenum tuetur. Nam longe aliud est, cùm quid naturaliter, aut præternaturam, fit; cùm à facultate, aut ab affectu; cùm pars valet, aut cùm imbecillis est. Transmisso igitur naturaliter humore; & ab expultrice cordis valenter expulso, corde etiàm non laborante; nihil damni ex trāsitu illo sequetur. Iàm vero si sequatur damnum neq; hòc Galenum falsitatis reum constituit: quippe ille se vidisse pus per vrinam excretum narrat, symptomata vero quæ excretio- *6. de loc. aff. c. 4.*

nem illam consequabantur non com memorat, vt potè non necessaria ad rem, de qua agebat. Neq; facilius (quòd contra Matthiolum dico) per venā sinè coniuge transiret pus. nàm multo facilius è pulmone, per asperas, lęuesq; arterias est iter, quàm è pulmone in thoracē vt indè exiguis venæ sine pari osculis sè sè insinuet. Tandē pus materia est magna ex parte elaborata, neq; adeo maligna, vt eam cor pati non possit. Quamuis enim in Coacis sic dictum *suppuratis à pulmone pus per ventrem secedere lethale* nempè quoniam natura iā male constituta, cōsuetis vijs relictis per partes nobiles materiam mouet, materiam, inquam, quæ potest mordacitate sua partes per quas transit vlcerare. Tamen Galenus, id quòd narrat, rarum esse fatetur, Rarum quippe est materiam in pulmone, aut thorace contentam relicta anacatharsi, per inferiora delabi, hoc est, è pulmone per cor, & venam cauam ad renes, è

thorace per venam ſinè coniuge ad inteſtina. At de his ſatis, quibus, non inutiliter, ad auferendam propoſitã difficultatem, longe à priore via ſumus digreſſi.

De Cauſis.
CAP. XVIII.

SI nihil eſt quòd vrgeat, curatio, ab extirpatione cauſæ, incipiẽda eſt, hoc conſiderandum ſecundo loco Galenus proponit, & meritò: ſi enim curatio non amplius eſt, ob id quòd vrget, præpoſtero ordine ſuſcepta, non melius id quòd efficitur auferemus, quàm auferẽdo id quòd efficit. Et quamuis his verbis videar cauſæ efficientis ſolius mẽtionem facere, ſcire expedit in morbis effecientem, & materialem fere ſemper vnã, & eãdem eſſe. fere ſemper dico, quia aliquando efficiens differt à materia, vt quãdo flatuũ efficiens cauſa eſt deminutus naturalis calor materia ve-

ro pituitosus, melancholicusuè aut alius quis piā excrementosus humor, sæpius tamen materia est quę efficit, vti in tumore causa efficiens est materia ipsius tumoris. febris putridæ materia, & efficiēs vna & eadem est, nempè putrescens humor. Iàm verò formalis causa est ipsa morbi essētia, quapropter risu excipiendus mihi Capiuacca videtur, qui in omni morbo causam formalem quęrendo defatigatur, & vel symptomata vel ipsam morbi essentiam nobis prò formali causa affert. Finalis causa in morbo nulla datur: morbus quippè monstrum est,& præter omnem naturę intentionem.

Sed magis propriè ad causam morbi, quæ prius curanda est, accedamus. Erit nè ea quàm continentem appellant Medici? Argenterius adeò addictus fuit cōtinenti causæ, vt eam in omni morbo dari,& huic non autem morbo curationem adhibendam esse fuerit arbitratus. Verum in sua hac

doctri-

doctrina morbum, cùm causa morbi confundit, multaq: penitus reijcienda scribit, de quibus in præsente agere non est opportunum. Cæterum etiam in ijs morbis, in quibus causam continentem admittimus, impropriè dicemus causam esse quę prius curāda est: quippe causa continens non prius, sed sola, curatur: cùm enim ea posita ponatur effectus, & ablata auferatur, post eius curationem, extirpationem vè nihil remanet peragendum.

Nūquid de causa procathartica hoc intelligendū est? minimè causa nāq; procathartica, seu præincipiēs, quàm primitiuam appellant Arabes, vt constat ex Auicenna, alij externam, nihil indicat, quòd ad curationem vsui sit, vt Galenus est autor. Causa hæc vel abijt & tùnc non indiget ablatione; vel remanet, & tùnc eam curādo Medicus nihil à plebe distat: quis enim est qui nesciat, eum, qui in febrem, ob iram, aut mœrorem incidit, admo-

a 1 2.1. *doct.* 2 *sum.* 1. *c.* 1 4. *meth.* *c.* 3.

nendum esse vt has deponat passiones. Sunt qui dicant causam istam, cùm remanet, transire in antecedentem. Sed falluntur: nàm antecedens medicamenta expostulat, procatharctica solis admonitionibus curatur.

lib 3.c.27 a 1.3, tract. 5. c.23.

Quòd si Paulus, & Auicenna caput scripserunt de ijs, qui amore insaniunt, morbum melancholicum curandum proponunt, causæ autem procatharticæ mentionem faciunt vt sciamus quibus admonitionibus eger indiget, vt videlicet inanes amantium curas reprehendamus, mulieris amatæ vitia, deformitatesq; sæpius repetamus, & alia similia præstemus, quæ ingeniosè cecidit Ouidius in libro de remedio amoris.

Nec rursus audiendi sunt, qui passiones animi, somnum atq; vigiliam, motum & quietem, è causarum istarum numero excludunt; adiungentes etiam repletionem, & inanitionem; cibum, & potum; quoniã Galenus excrementorum euacuationem, cibum,

1. finit. tuen. c.4.

& po-

& potum, ad differētiam aëris, dixit, interius nos alterare. Auicenna perperam hunc nodum soluit. Externas causas alias statuit ex parte corporis, vt verberatio, aëris calor, cibus intemperatus, alias ex parte animæ, vt passiones, iram, & timorem: *quoniam anima* (inquit ille) *aliud est à corpore*. quibus verbis mihi videtur animam corpori extrinsecam facere, & ei solū assistere vt assistit gubernator naui, qui Platonis fuit error. Dicunt alij passiones esse causas externas: quia, vt plurimum à causis externis originē ducunt. Hæc responsio non satisfacit: nàm rarum est morbum dari, in quo error externus culpam non habeat, ac proindè etiam causæ internę ab externis oriuntur.

[a] 1.2.doct.2. c.1.

Melius videtur dicendū, passiones, & reliquas res nō naturales, quæ intus fiunt, vt sūt cibus, & potus repletio, & inanitio, motus, & quies, somnus, & vigilia, externas dici: quoniam sunt non minus euidentes quàm si ob ocu

los ponerentur. ideo eas aliquando
2. de nat. hum. com. 17 Galenus manifestas appellauit,& Cel
sus causas diuidit in abditas,& euidẽ-
tes. Abditas appellat, quas internas
appellamus: quia adeò sunt abscon-
ditæ, vt signis indigeant, euidẽtes au-
tem externas: quia omnibus sunt cõ-
spicuæ. Autor definitionum causas
manifestas vocat eas, quæ ex sè ipsis
facientes sensu deprehenduntur, non
manifestas, quæ non ex sè ipsis, sed
per signa cognoscuntur. Itaq; siue sint
passiones animæ, siue aliquæ aliæ ex
rebus non naturalibus, de earum cu-
ratione agere superuacaneum, in ar-
tificiosum uè est:& licet non sit negã-
dum, cùm Galeno, easdem ad cogni
tionem affectuum conferre, nos non
quærimus de signis, sed quærimus à
quò nàm incipienda sit curatio.

art. me- dend. c. 88. Quare causa, quã auferendã prius,
cùm Galeno, censemus, est causa an-
tecedens. Quænam est causa antece-
dens? Auicenna causam anteceden-
tem mediatam appellat: quia scilicet

conti-

continens eſt immediata. Verum aliquando continens nulla datur, & antecedens immediata dici debet. Eſt ergo antecedens oppoſita continenti. Continentem diximus qua poſita ponitur effectus, & qua ablata aufertur; antecedens eſt, qua poſita nõ neceſſarium eſt vt effectus ſtatim ponatur, & qua ablata nõ neceſſariò aufertur effectus. e.g. Humor mordax poteſt membrum occupare, nec tamen adhuc vlcus efficere, efficiet autẽ corrodendo poſteà, ecce cauſa qua poſita non ſtatim ponitur effectus. Rurſus idem humor mordax ſi ab vlcere auferatur non ſtatim vlcus ſanabitur: quippè neceſſe eſt vt caro regeneretur & cicatrix fiat, ecce ablata cauſa remanet effectus. Intellige tamen ablata cauſa antecedente remanere effectum vel in ſpecie, vel in genere. Sic humor putreſcens eſt febris cauſa antecedens: quia poteſt in corpore eſſe nec adhuc cor accendere, ſi vero remoto illo remoueatur febris, remanet

saltem calida intemperies, vndè Galenus, *prius oportet causam curare, deinde ad eam, quæ facta est, venire discrasiam*.

Quæres in quo nàm morbo incipiendum est ab extirpatione causæ? considerato morbum aut futurum esse, aut factum, aut fientem, futuro debetur precautio per ablationem causæ, facto curatio per ablationem morbi, fienti mixta curatio cùm præseruatione, & tantum de preseruatione adhibendum est, quantum non dum habet factum. Morbus futurus est, qui, quamuis nondum adsit, adest tamen eius suspicio. nàm si suspicio non esset, nec futurus diceretur morbus, sed status saluber. Dicetur igitur morbus futurus, status neutrorum, vt quando adsunt lassitudimes spontaneæ, quæ non sunt morbi sed, vt Hippocrates
ait, *morbos prænuntiant*. Quid autem sit morbus fiens, & morbus factus nõ satis constat.

Aliqui, inter quos est Turisanus fiẽ
tem

tem morbū propriè sè appellare arbitrantur cùm in transitu, & fluxu est. Sed non cōsiderant morbum esse affectum, & motu à passione differre, quòd Galenus sæpissimè inculcauit: quippè cessantè eò quod alterabat, alteratio, quę in passo iàm remanet affectus eius est. Ergo (vt Galenus ait) *is qui morbum esse motum præter naturam dixit, non intellexit quid diceret.* *de diff. sympt. c. 1. & sæpe alibi.* *2. meth. c. 13.*

Sed dices, non nè Galenus febrem appellat *conuersionem natiuæ caliditatis in igneam naturam?* non nè cōuersio motum significat eius, quòd conuertitur? Respondeo (quicquid alij somnient) conuersionem accipi prò termino conuersionis, vt multoties generatio, nutritio, coctio, accipi solent. Cùm terminum dico ne intellige vltimum, qualis est ignis, aut summus calor: cùm hòc enim non posset homo viuere. Nè rursus intellige calorem ęqualē: nàm sic sola febris hectica esset febris. Intellige terminum

medium, in quo actiones sensibiliter læduntur: cùm enim eò deuentum est iàm est morbus, & subindè febris.

Aliorum fuit opinio, quę fere cùm prædicta coincidit, morbum fientem esse, cuius aliquæ iàm sunt partes, aliæ non adhuc sunt. Isti tamen vidētur morbum in successiuorum numero reponere, cùm tamen res permanens à Galeno dicatur, & meritò. Nàm morbus, non minus quàm sanitas, subiectum suū denominat, nulla autem qualitas corpori, cui inest, appellationē indit, nisi suis partibus, & essentia constet.

De diff. sympt. citat.

Dicunt alij morbum fientem habere quidem omnes suas partes, sed nō omnes æqualiter, & propterea inter febres, solas hecticas, morbum factū esse fatentur. Hinc est quòd Galenus, in arte medicinali, videtur febres putridas fientes appellare. Hi etiam parum rationabilia loquuntur: quippe ephemerę non habent calorē æqualem, & tamen non sunt morbus

fiens.

fiens. neq; enim in remotione earum attenditur ad causæ remotionem.

Montanus existimauit morbum factum dici, qui ad suũ vigorem accessit. Sed fallitur: nàm sic morbus ante vigorem semper esset fiens, & mixtã expostularet cùm curatione præseruationem, cùm tamen febris hectica statim in principio sit facta, & nullius causæ expostulet ablationem. Tumor præter naturam, cùm tendit ad maturationem suppurantia expostulat, hòc autem cùm præseruatione nihil commune habet. E' contrario febris putrida etiam in vigore est fiẽs: quippè in vigore etiam causę ablationem requirit. non ergo quia morbus est in vigore, desinit esse fiens.

Communior opinio est morbũ factum dici, qui non amplius dependet à causa, neq; expostulat curationem separatam à præseruatione, sed solam indicationem, quæ sumitur à morbo. Morbum fientem ex aduerso à sua causa dependere, & expostulare mi-

xtam indicationem. Hæc ſententia admitti poſſet, niſi in circulum deducta eſſet. Fit autem in ea circulus hòc modo. Quæro cui nàm debeatur indicatio mixta? reſpondes, morbo fiẽti. Rurſus quero, quis ſit morbus fiens? reſpõdes, cui debetur indicatio mixta.

Propterea mihi potius dicendũ videtur, morbum factum, à fiente ſola ſtabilitate diſtingui. Stabilitas autem conſtantia eſt: ſic ſtabilitatis nomen,
4. *ath*. 30. apud Galenum condero, quando ait, *cauſam acceſsionum vbi nõ fuerit fixa, ac ſtabilita non ſeruare terminum, ac circuitum: vbi vero firmata fuerit, ſeruare. Atq; ideo difficile ſolubilem eſſe cauſam, quæ fixa, atq; ſtabilita ſit: facilè verò ſolubilem, quę talis non eſt. Nàm quæ firmata ſunt magnam vim, vt quiſpiam dixerit, demolientem expoſcunt, quæ longo tempore, & per fortiora, ac plura auxilia comparatur.* Sic Galenus, quòd tamen ille de cauſa morbi, Ego de morbis dico, videlicet

factum

factum morbum esse difficulter educibilem, fientem verò, qui facilè educi potest.

Hoc manifestè exemplo ostẽdam, sed prius prò hypothesi statuam, morbum fientem posse adhuc adeò exiguam partem stabilitã habere, vt neq; causæ, neq; morbi extirpatione egeat, sed sè sola ad sanitatem reducatur. In hòc statu ad futuros reducitur morbos, progrediatur deindè vlterius, & stabilitatem iàm considerabilem nanciscatur, tunc dicetur fiẽs. Postquàm autem est omninò stabilitus, iàm nuncupabitur factus, exemplum ergo statuamus in aère ambiente. In hyeme à Solis radijs incalescit parum, ita vt illud parum prò nihilò reputetur, & ita est exiguus calor vt statim discedentè Sole abeat. Verno tempore iàm calor à Sole acquisitus stabilitatem aliquam habet, & recedentè Sole adhuc pars eius conserua tur. In æstate est omninò stabilitus adeò vt in Sòlis absentia etiam vrat.

Accipe igitur mihi morbū in illo medio ſtatu, in quò Verno calori comparabitur, tūc fientem appellabis, cuius pars remanet poſt remotionem cauſæ, & ſic non ſola præſeruatione, ſed curatione etiam indiget. Accipe rurſus morbum in vltima ſtabilitate, quam ęſtiuo calori ſimilem eſſe diximus, tunc factus dicetur: ſiquidem nihil remouetur ad remotionem cauſę, ſed oportet attendere ablationi morbi, Ita tamen vt in hòc caſu, in quò morbus eſt factus, ſi cauſa adhuc adeſt ea remouenda eſt, non tanquàm cauſa, ſed tanquàm conditio ſinè qua non, de quà mox agemus, ſi verò cauſa abijt, morbi extirpationi incūbendum eſt.

Sed nūquid febris ephemera, quæ facilè tollitur, eſt morbus factus? maximè, dūmodo nō habeat adhuc præſētem cauſam: in ſuo enim genere ita ſtabilita eſt, vt ſi ſpiritus, qui ſunt eius ſubiectum, fixam habuiſſent cōditionem, illa profectò fixa eſſet, diſſipa-

tur ergo febris facilè ob facilē subiecti, cui inest, dissipationem. Rursus nunquid febris putrida nō poterit eò accedere, vt sit stabilis, & facta? cur ergo semper dicitur fiens? Quia videlicet terminus caloris in quò febris putrida consistit, est terminus quidā medius, vti diximus, qui sufficit quidem ad morbum constituendum, nō sufficit ad firmandum: neq; enim firmabitur calor nisi vel terminetur in ægrotantis interitu, vel trāseat in hecticam. Instabis forsan, inquiens, hòc idem de ephemera dici posse, contingit enim aliquandò eam vel in putridam vel in hecticam trāsmutari. Respondeo ephemeram, ni transeat in aliam, omnem suam stabilitatem habere: spiritus enim eum habent calorem quem habere possunt, at putrida nō habet omnem suam stabilitatem, humores enim ideò putrescentes dicuntur, quia semper magis, ac magis putrescunt. Itaq; febris ephemera, & hectica morbi sunt facti, & propria

curatione tractãtur, febris autem putrida morbus est fiens: iccirco non sola curatione sed præseruatione etiam eget, quod nos sapienter docet Galenus his verbis. *Diariarum quidem febrium, quemadmodum & hecticarum vera, & propria curatio est. earum verò quæ ex putrescentibus excitantur humoribus, vocata curatio, prophylaticem quæq; sibi adiungit.*

lib. 11. meth. c. 2.

Adducunt in mediũ aliqui nephriticum affectũ, & obstructiones: sunt enim morbi facti, neq; maiorem stabilitatem habere possunt, quàm habent, nihilominus tamen statim, ablatione causæ, auferuntur. Nàm lapis & humor obstruens sunt causæ, non morbi, extrahe lapidem, aut expelle humorem obstruentem, non amplius affliget morbus. Respondeò lapidem non morbi causam sed morbum esse, quòd Galeni doctrinam sapit: quippè immediate & per sè functiones lædit, neç deest lapidi sua causa nempè materia à quà fuit genitus: hæc iàm

non curatur, quare extractio lapidis, vera morbi facti curatio cēsenda est. * Obstructio etiam est morbus, sed causam habet humorem lentum impactum, cuius curationi attenditur, at obstruens humor causa continens est, qua posita ponitur effectus, & qua ablata aufertur. Iàm verò diximus causam continentem, cùm adest, solam esse extirpandam, & ad eius extirpationem euanescere effectum. Ideò morbi, qui causam continētem habent, suaptè natura fientes appellari debent, quia videlicet in his nulla alia est stabilitas, quàm stabilitas suæ causæ, sit ergo lapis renum morbus factus: quia non amplius dependet à causa sua, nempè antecedente, sit obstructio morbus fiens: quia nō aliam habet durationem quàm durationem suæ causæ, hoc est, causæ continentis.

* *Gal. diff. morb. c. 7*

De conditionibus sinè quibus non.
C A P. X I X.

POtest aliquãdo neq; aliquid valde vrgere, neq; causa, quæ prius abscindenda sit, adesse ; tunc ad id, quòd ordo postulat animum conuertere oportet, hoc est, *ad id antè quòd, ad id cùm quo, & ad id post quod curari debet.* Vocant neoterici conditionem sinè quà non, quæ licet causa nõ sit, est saltim impedimentum, sinè cuius ablatione sanitas nunquam sequitur. Duo morbi, vel morbus & symptoma, vel duo etiam symptomata, possunt complicari, neq; vnum alterius esse causa, sed impedimentum duntaxat, seu conditio sinè quà non, quàm tãti facit Turisanus vt ad eam, tùm vrgentis, tùm etiam causæ, considerationem reducat. Nàm & quòd magis vrget, & quòd causa est, ideò prius curantur, quia sinè ijs alterum curari nequit. Verum animaduerte-

re debuerat aliud esse id sinè quò alterum *rectè* curari nequit, aliud id sinè quò *absolutè* curari nequit. Sinè ablatione vrgentis, aut sinè ablatione causæ, non *rectè* quidem, sed per medias difficultates, per media pericula, medeberis. A sinè ablatione veri impedimenti, nullò modò curare poteris. Hoc exemplis fiet manifestum. Siquis inflammationem patitur, cùm vrgẽtissimus superuenit dolor, rectè curabis si prius dolori incũbas. Si verò non incumbas, sed inflammationem solam respicias, eam quò ad poteris cohibendo, forsitan sanabitur ęger, verum non nisi cùm difficultate, & periculò, cùm difficulcultate quidem quoniam dolor trahens inflammationis materiam augebit; cùm periculò: quia vires à dolore dissoluentur. Cęterum & tractionem diuersionibus, & virium lapsum refectionibus, corrigis. Præpostera fateor est curatio, sed quę nõ est impossibilis. Rursus si ventriculi adsit inap

petentia, propter materiam, quæ illuc à capite descendit, humoris descẽsum prius prohibere conuenit, si rectè curare velis: sic enim à causa incipies. Sin, contempta causa, effectui, hoc est, inappetentię medeare, nempè abscindendo, abstergendo, euacuãdo, & corroborando. Succedet aliquandò vt appetentia reuertatur, difficilis tamẽ est ista curatio, & quæ timorem recidiuæ relinquit. Sic habes contempto eò quòd magis vrget, & cõtempta causa curationes quidem, sed præpostereas, at si præsens adsit impedimentũ, seu conditio sinè quà non, profectò nec pręposterè, nec aliò modo, quidquam assequi poteris. e. g. Vlcus cauum: neq; enim vlcus cauitatis causa, nec vlceris cauitas dici potest, neq; alterũ, altero longè magis vrget, & tamen vlcus curationi cauitatis impedimento est, adeò vt quãtumuis cauitatem carne adimplere satagas, nunquam id efficies nisi parte vlcerata prius ad mediocritatem

tem reducta; atq; ita habes impedimentum in vlcere cauo, hoc est, in duobus morbis, sunt enim teste Galeno vlcus, & cauitas duo morbi quia cauitas & vlcus diuersas exigunt curationes videlicet vlcus vnionē substantiæ, & cauitas substantiæ regenerationem. Præterea cauitas sine vlcere, & vlcus sinè cauitate possunt subsistire, quando ergo duo ita sè habent vt alterum sinè altero subsistere possit diuersæ res sunt. Si vero quęras quis nàm morbus sit cauitas, profectò si pars aliqua tota ablata est, erit morbus in numero. poterit esse morbus in figura si figuræ vitio actio lædatur. Vniuersim autem dicetur morb9 in deminuta magnitudine quoniam saltem portio aliqua similaris membri deficit. art. med. c.52.

Sed ad susceptum prius iter reuertamur, si duo morbi sint eiusdem speciei, nunquam vnus alterius est conditio sinè quà non: etenim vnus non impedit curationem alterius, vel er-

go debent esse specie diuersi vel toto genere. diuersi specie. e. g. tertiana cùm quartana, aut cùm quotidiana, & tumores præter naturam, Erysipelas phlegmonodes, schyrrus ædematodes & alij similes. Similiter si vlceri, quòd est morbus in compositione, adsit phlegmon, aut Erysipelas, qui etiam in cõpositione sunt morbi. sed tamen specie diuersi. Eodẽ modo vulneri Epigastrij accidit exitus Omenti, ita vt duo sint morbi fere eiusdem generis non eiusdem speciei: est enim exitus Omenti morbus in compositione vitiatę figuræ quemadmodum etiam vulnus.

Quòd autem diximus de duobus morbis dicemus etiam de morbo, & symptomate: nàm aliquãdo symptomati occurrimus, non quia magis vrget: (neq; enim semper magis vrget) sed quia sinè symptomatis ablatione morbus auferri nequit. Sordities in vlcere vlceris est symptoma, vlcus morbus, quis autem, non abster-

ſa prius ſorditie, vlcus curabit?

Poſſunt etiam duo ſymptomata ſimul concurrere ſiuè ea ſub eodem ſint genere, ſiuè ſub diuerſis. Tria ſunt ſymptomatum genera, quędam enim conſiſtunt in actione læſa, alia in excretis, alia in qualitate mutata. Quando igitur vigilia, & deliriũ complicantur, vtraq; ſunt ſymptomata in genere læſę actionis, & tamen nõ poſſumus ſedare delirium ni prius ſomnum conciliemus. *Quòd ſi ſomnus delirium non ſedat*, inquit Hippocrates, *mortale*. Ecce ſymptomata eiuſdem generis. Si quęras ſymptomata diuerſi generis, quę sè impediant in curatione, conſiderato ægrum, qui inappetentiam ſimul patitur, & alui fluxũ, alui fluxus ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè, inappetẽtia ſymptoma eſt in genere lęſę actionis, non poteſt tamen alui fluxus curari niſi curetur inappetentia. Exemplum etiam tibi ſit in diabete ſitis, & vrinæ profluuium: nàm profluuiũ eſt ſym- 2. aph. 2.

ptoma in genere excretorũ immodicè, sitis est in genere læsę actionis, quis autem vrinæ profluuium sanabit non sedata prius siti?

De duobus pariter vrgentibus. CAP. XX.

HActenus facilis fuit doctrina, & leniter fluens, quam Galeno acceptam refero, nempè primò inchoandam esse curationē ab eo quod magis vrget, secūdò loco ab eo quod sè habet veluti causa, tertio ab eò quòd ordo postulat, hoc est, à conditione sinè qua non. Cæterum vt hæc facilia sunt, ita redduntur difficilia, si duò simul adsint quæ grauiter vrgeant, si duæ causæ quæ sibi inuicē sint causæ, si duæ conditiones sinè quibus non, quæ sè mutuo impediant. Agamus primò de duobus vrgentibus, quorum, si alterum superet, curatio ei adhibenda est, ea tamen lege, quam sanciuit Galenus, videlicet,

cet *nè quòd reliquum est contemnas*. Itaq; curatio adhibenda est quæ vtrumq; respiciat, magis tamẽ id quòd est maius, Non est autem maioris ratio in omnibus vna, sed aliquandò ex rei dignitate, aliquandò autẽ ex propria ipsius essentia. Exemplum habes apud Galenum in lassitudinibus: nàm lassitudinem phlegmonosam vlcerosæ dignitate præfert. si igitur vtraq; pariter vrgeat phlegmonosa quidem præcipuam solicitudinem ad sè trahet, vt pote dignitate pollens. Si verò vlcerosa plurimum phlegmonosa parum, à naturali habitu recessit, æstimare oportet, num tantùm vlcerosa superest magnitudine, quantùm phlegmonosa dignitate, an minus, an magis & sic ad id quòd pollet conuerti. Quod si pariter pollentes videris, pari studio est vtriq; consulendum. Hęc est Galeni doctrina, qui prò coronide hæc verba adiungit. *Atq; hæc ratio perpetua sit omnium coniugatorũ affectuum*. Cuperem tamen vt ille

3. sanit. tuend. c. 9. & 8. met. c. vlt.

3. san. tu. loco citato.

me, aliquo ſaltem propoſito exẽplo, doceret, quomodo vtrumq; ſimul af fectum pariter vrgentem pariter etiã curare oporteat, quòd quoniam non præſtitit, pro viribus prȩſtare conten dam. Quando duo valenter,ac fere ȩqualiter vrgent cõſiderare oportet an vtrumq; ſecum prȩſens habeat pe riculum, an vtrumq; futurum, an alterum præſens, alterum futurum.

Rurſus quando vtrumq; periculũ eſt præſens, vel vtrumq; vnam, & eãdem curationem expoſtulat, vel vnũ quòdq; diuerſam. Si vtrumq; eandẽ exigit curationem, facilis eſt via. e.g. in muliere quȩ menſtruorum redundantia laborans ſimul diarrhæam patitur. His duobus affectibus,quorum vtrumq; valdè vrget,vna dabitur curãdi ratio in genere, nempè aſtrictio, quòd ſi in ſpecie aliquantulum euarient non ita tamẽ vt inuicem aduerſentur, vti ſunt in diarrhæa clyſteres, in menſtruis immodicis iniectiones, aut peſſaria. Cæterum quȩ per os ſumun-

muntur ita conueniunt vni, vt alteri aliqua ex parte conueniant, diuretica purgationes menstruas ab vtero diuertũt: per ea enim curauit Galenus Boethi vxorem. Alui fluxui etiã prodesse possunt quatenus vrinam multiplicando, deiectionem paruam efficiunt, vt colligimus ex Hippocrate. de præd. ad Postum. c. 8 4. aph. vlt.

Si vnumquodq; vrgentium diuersam, & pene contrariam curationem expostulat, difficilioris est negotij. Vt si ob aceruatos putridos in ventriculo humores caput grauissimè doleat, & simul ob eosdem ad intestina fluẽtes, desynteria premat. cõueniet cephalalgiæ reuulsio ad inferiora, desynteriæ autem ad superiora. In his angustijs debet Medicus per interualla nunc ad hoc, nunc ad illud animũ conuertere, prout videatur nũc hoc, nũc illud malum magis augeri, ita tamen vt quando vni occurritur, alterius ratio quępiam habeatur. Vt si cucurbitulæ affigendę sint ob capitis dolorem nè ad inferiora nimis descen-

dant, sed scapulis, aut saltem ad partem quę renibus superstat affigātur. Si vero aliquando intestinorum dolor, & multitudo excretionum in intestinis augeatur, per vomitum quidem esset reuulsio peragenda, nihilominus, quia dolor capitis adest, contētus debet esset Medicus ijs auxilijs quæ descensum humoris ad intestina prohibent, & ablutionibus, quæ id quòd descenderat abluant & extrahant. Hòc efficient tùm cibi, tum medicamenta incrassantia, & astringentia, clysteresq; abstergendi vim habentes: interim tamen, nè retenti humores vaporibus caput repleant, oportet vt caput corroboretur, & hypocrusticis materia indè repellatur. Tenēda præterea sunt in ore ea, quæ ascensum vaporis prohibent, vt est conserua rosarum, ex sorbulis, ex ribes, aut ex ijs extractum, quòd gelu cōmuniter appellatur, confert & diacodion & pastilli ex diatragacantha. Atq; hæc de vrgentibus quæ

præſens habent periculum.

Si vero duo vrgentia concurrant, quæ futuram noxam minentur, in his ſimiliter conueniet ſpectare, an vtrumq; eãdem curationem expoſtulet, vti catarrhus fluens ad oculos, & ad aures aut ad pulmones, quorũ primus cęcitatem, alter ſurditatem, tertius phthyſim minatur, omnes tamẽ poſſunt vno & eodem ictu ſuperari. Aliter vero ſi eius fuerint naturæ, vt vna & eadem curatione non corrigãtur. Exemplum habes apud Hippocratem. *6.aph.12* Nàm ſuppreſſæ omnino hæmorrhoides poſſunt vel hydropẽ adducere: quia (vt Galenus vult) regrediente ad iecur ſanguine ſuffocatur iecoris caliditas. velut ignis ex cõgerie lignorum. quòd ſi in illo viſcere calor naturalis deſit, ſanguificationis opus non perficitur, atq; ita fit hydrops, quòd ſi vis hepatis poſſit ſanguinem ad ſuperiora reijcere propulſabit illum ad thoracem, inde per ſputũ exiet, & fiet ſanguinis ſputũ ad

7.aph.15 quòd, teste Hippocrate, sequitur puris sputum, & ad hoc Phthysis. Hoc accidit ex hæmorrhoidibus suppressis, ex eisdem autem superfluè fluentibus, hepar, velut ex omni alia superflua sanguinis euacuatione, debilitatur, ac proinde periculum est nè hydrops sequatur. Ecce periculũ hydropis tàm ex retentis quàm ex fluẽtibus hæmorrhoidibus, ad quòd sapiẽtissimus Hippocrates animaduertẽs, iubet vt saltem vna relinquatur, & sic neq; omnino sanguis retinebitur, neq; superfluè euacuabitur. Vrget igitur duplex futurum periculum. Similiter si mulier obnoxia sit, tùm hystericis, tùm nephериticis passionibus. Vtrumq; malum vrget, non in præsens, dum illa est extra hos affectus, sed in futurum: quia eos, iure optimò, timet. In hoc etiam casu difficilis est curatio, nàm si vitiosum humorem, nè ad vterum dilabatur, per vrinarios meatus deducas, nephritim excitabis & calculo gignendo mate-

riam prestabis; iterum à renibus ad vterũ reuellere si velis, vterinos concitabis affectus. In hac difficultate diuretica fortia non erunt præter rationem: nàm licet materiam ad renes expellunt, eandem tamen à renibus foras extrahunt, & in preseruatione à calculo conuenire diuretica grauissimorum autorum est sententia, quã nos, in nostro de Meteoris Microcosmi libro sumus amplexi. Sed alio exemplo magis proprio libet ostendere duplicem morbum vrgentem, quorum vterq; futurum malum minetur, & vnusquisq; diuersam expostulet curationem. Si quando (vt accidisse nouimus Illustrissimo Cardinali Bonzio) iecur tumore schyrroso, ex materia crassa, pituitosa facto, induretur, & simul per aluum multa acria, biliosa, adusta, excernantur. Schyrrus iecoris iàm iàm futuram minatur hydropem; humorum acrium, & adustorum transitus erosionem intestinorum, ac valdè lethalem desynteriã,

quid faciendum? refrigerabimus nè partes excalfactas, quæ humores adustos ad intestina transmittunt? at sic materia pituitosa augebitur in schyrrho iecoris. Nunquid materiã schyrri atteriuabimus? at sic fluxũ acrem augebimus. Postulat recta methodus, vt infrigidationi prius incũbamus: neq; enim ex omni refrigeratione pituitosus humor augetur, sed ex ea, quę cruditatibus gignendis occasionem præbet. Dum autẽ hæc intus gerimus, non erit inconueniens iecori topica medicamenta attenuantia, & resoluentia adhibere. Ita tamen, vt hæc topica non excedãt: nàm in iecore, vbi non deest sanguis, poterit aliqua pars aduri, adeò vt ex schyrro fiat cancer.

Vltimò potest vrgere aliquid in pręsens, aliud in futurum, & hęc duo etiam poterunt eandem curationem *4. loc. affect. c. vlt.* expostulare. Habes exemplum in Antipatro Medico, qui & difficultate respirandi, & palpitatione simul

laborabat, difficultas respirationis suffocabat ægrum, palpitatio vero syncopem minabitur. Vtrumq; de obstructis arterijs pulmonis curari debuerat, ille tamen: quia ægritudinem, prę in curia, augeri permisit, exolutus obijt.

Aliò modo vnū in præsens, aliud in futurum vrget, & diuersas expostulant curationes. Accipe mihi corpus, cuius substantia, tùm propter spirituum tenuitatem, tùm etiam propter meatuum raritatem, sit (vt Galenus appellat) dissipabilis, vel exhalabilis, *12.meth. c.5.* vel quòd sit defatigatum ex intempestiua exercitatione, vel potu, vel venere, vel curis & solicitudinibus (quę adnotare solitum esse Hippocratem refert Galenus) & sic affecto corpore, homo febricitare incipiat. Ratione febris, quę in pręsens vrget, euacuatio debetur, *3.epid.sec. 1.com.2.* ratione imbecillitatis virium, quæ vrget iu futurum, cauere debet Medicus à sanguinis missione, quòd nos passim admonet Ga-

lenus. In hac contrarietate, licet re vera virium sufficiens magnitudo, in primò statim morbi ingressu, comprehendi nequeat, tamen, ex Galeni cōsilio, *si non possumus earum quantitatem exquisitè inuenire, posse tamen nos artificiosa quadam coniectura ad veritatem proximè accedere nemo inficiabitur*. Coniectura igitur facta, Galeni oraculo, quid agendum sit docemur. Nàm si iuuenis *triginta annos sit natus, sed laxus & mollis, & pinguis, & albus, ac gracilibus, venis, huic planè aut sanguinem non mittes, aut parùm detrahes, & omnino quidem non mittes in tempore æstatis, & regione æstuosa, & cœli statu calido, ac sicco, parum detrahes in aliis anni temporibus tùm regione, tùm cœli statu*. Timendum igitur in huiusmodi hominibus est nè vires euacuationem tolerare nequeuntes collabantur, & cùm penitus cogimur sanguinē mittere, (quoniam adest febris putrida quę prò hypothesi habet obstructionem, & putredi-

1.aph.12

11.meth. c.14.

tredinem) obſtructio, & putredo vltiorem, per alia remedia, curationem expoſtulant, nec ſola ſufficit ſanguinis miſſio, ideò non eſt mittendus ita copiosè ſanguis vt neceſſitas poſtulare videtur, *ſed reponi aliquid debet ad curationis ſpatium quò minus intempeſtiuè nutrire neceſsitate vlla cogamur.*

Cæterum hoc quòd de ſanguinis miſſione dico, de purgante medicamento dictum puta. Sed quoniam diximus in ſanguinis miſſione, citra id quòd morbo debetur, propter virium imbecillitatem, ſiſtendum eſſe, interrogabis, quæ nàm ſit purgatio quæ huic deminutæ ſanguinis miſſioni reſpondere poſſit? nàm Galenus hoc negare viſus eſt quandò ſic ait, *quòd ſemel in ventrem deuoratum eſt medicamentum, quò minus omne deuoratum ſit, fieri non poteſt: neq; poſsibile eſt, vbi pluſquam conueniat iàm purgetur homo, partem oblati auferri. At in ſanguinis miſsione ſummum id bonum eſt, euacuationem, dum voles poſſe* *de rat. cur. per ſang. miſſ. c.18.*

 ſiſtere,

ſiſtere, ac rurſum quò videntur tempore fluere ſinere, quò ad vſq; rectè habere appareat. Attamen non colligimus ex his verbis non eſſe in manu noſtra purgationem deminutam facere, colligitur quidem magis tutam eſſe miſſionem ſanguinis, quàm purgationē, & maiore circunſpectione eſſe opus ad exhibendum pharmacum purgās, quàm ad mittendum ſanguinē: ſiquidem venæ ſectione perinde Medicus vtitur ac ſi equum habenis regat, quem poſſit ad libitum cohibere. At purgatio eſt veluti ſaxum è manu eiectum, quòd iterum recuperare eſt impoſſibile. Cæterum ſi velis deminutæ ſanguinis miſſioni purgationē æquiparare, id coniectura quadam aſſequi poteris: quamuis enim, vt Galenus multoties ait, *nihil magis coniecturale facit artem noſtrãm quàm remediorum quantitas*, nihilominus, ſicut ſuperius de viribus diximus, ita nunc de remedijs dicendum eſt, poſſe nempe nos ad rectam menſuram

de ſang. miß. citato, & ſape alibi

arti-

artificiosa quadam coniectura accedere.

Igitur sanguinis missioni deminutę respondebit purgatio, quam recētiores minoratiuam appellāt, Vallesius licet vocabulum, tāquàm barbarum, reijciat, rem tamen amplectitur. Prolixa sē nunc offerret cōtrouersia, quā Antonius Musa, contra [a] Ioannem Manardum suscepit, existimante Manardo, & rationibus multis comprobante, etiam humores non turgentes debere, ante coctionem, imminui, & contradicente Musa. Cæterùm videtur Musa plus nimio addictus aphorismo qui iubet *concocta medicari, & mouere non cruda*, quem tamen Gale. ait in quibusdā exemplaribus scriptum non reperiri, licet in lib. de humoribus passim scriptus reperiatur. Sed non nē alius aphorismus qui sinè dubio Hippocraticus est, habet *cùm morbi incboant siquid mouendum mouetur moue?* Ita est, sed Musa considerat verba *siquid videtur* quasi dictū

lib.7.contr.c.13.

1.aph.22

[a] lib.17.epist.1.

1.aph.21.

2.aph.29.

Castrens. sit

ſit ſi materia turgeat,aut ſi ſit iàm cõ coćta, verum inanis eſt iſthæc interpretatio. Nàm in primis, principium eſt tempus cruditatis nec in eo poteſt eſſe facta concoćtio. poteſt, inquit Muſa, ſi principium accipiamus non prò tẽpore cruditatis, ſed prò primis tribus diebus vt accipit Galenus in libro de criſibus. At quàmuis ita accipiat non eſt materia morbifica ita concoćtu facilis, vt in primis tribus diebus poſſit cõcoqui. Deindè quòd nec de turgentè nec de concoćta loquatur patet quoniam in ſequẽtè aphoriſmo rationem aſſignat cur in principijs ſit purgandum, videlicet, quia tunc ſymptomata ſunt mitiora, vndè rećtè idem Hippocrates alibi, purgare iubet ante ſeptimum, ſin minus non niſi poſt decimum quartum, vt videlicet effugiamus tẽpus in quo morbus acutus cõſiſtit, ac viget: nàm ante decimum quartum non poſſe morbum concoqui, Galenus ſcriptũ reliquit. Nec Muſa Galenum fau-

Hip. & Gal. 4 rat. vict. in morb. acu. tex. 64.

torem habet: quippe Galenus nec de turgente, nec de concocta materia aphorismum intelligit: siquidem ait *melius est in principijs euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius natura possit concoquere*. Certè si materia est turgens, non debet euacuari deminutè ita vt pars eius relinquatur, similiter si est cocta, non est cur partem relinquamus, quæ postea concoquatur. Demum Galenus prima die, secunda, & quarta, & interdum quinta medicamentum se dedisse fatetur. Hoc Musa interpretatur fuisse factũ reuellendi causa. Sed quid prohibet fieri etiam euacuationis ergò? Nùm quia dùm materia morbi est cruda, bonus succus simul cùm prauo extrahitur? placet mihi Vallesij respõsio. Hoc quidem non admodum est certum, sed demus certum esse, non nè tùnc virtus aggrauatur & purgatione leuamen accipit? sæpè venæ sectione plus laudabilis, quàm corrupti sanguinis extrahitur, & tamen venæ se-

ctione ægrum videmus ſubleuari. Alij argumentantur ab inflammationibus ad materiam febrilem, nàm inter hæc duo magna eſt proportio, vt Galenus ſæpiſſimè docet, cùm ergo Hippocrates dicat, *quicumq; ea quæ inflammantur ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, ij non ſolum ab intenſa, inflammataq; parte nihil adimunt, cùm non cedat, obſequaturq;, quæ adhuc cruda eſt affectio, verum quoq; & quæ morbo reſiſtentia, & ſana ſunt abſumunt colliquantq;*, & cætera, quæ proſequitur, docet inflammatam partem non eſſe tempore cruditatis euacuandam. At ego licet ſimilitudinem inter inflammationem, & materiam quæ in venis putreſcit admittam, paritatem tamen non recipiam: materia enim inflammationis in venis exiſtit capillaribus, febrilis autem humor in vaſis ampliſſimis, conſidera ergo quàm facilior ſit eductio à venis amplis, quàm ab anguſtis.

Gal. 3. de præſag. ex puls. c. 6. & 1. diff. feb. c. 6.

4. acut. tex. 22.

Sed

Sed nè in longum producam ea quæ ab alijs satis sunt inculcata. Verissimum censeo in principijs morborum ante quàm appareat concoctio, non solum cõuenire pharmacum leniens, lubricans vè, quòd Musa quasi precario concedit, sed etiam catharticum, hoc est, electiue purgans, ea tamen moderatione vt non intendamus totam materiam euacuare, sed eam (vt cùm Galeno loquar) minorem reddere. Neq; ego, vt Vallesius, barbarorũ doctrinæ ita infestus sum, vt mihi displiceant vocabula quibus rem hanc exprimunt, nempè conuenire in principijs minoratiuam purgationem non vero eradicatiuam, neq; etiam admitto Ioanni Brauo non minus fortia debere esse medicamenta minoratiua, quàm sint radicatiua, teneo tamen (cùm sint multi medicamentorum gradus) media quadam via procedendum esse, neq; prorsus ad lenientia, neq; ad vehementiora

ra accedendum, sed catholico, diaphinico, & similibus vtendum.

Nec vero Hippocrati refragamur, qui concocta medicari iubet, immò vero cum Medicus ita facit naturam rectè operantem imitatur, aut impotentem adiuuat. Sed natura multoties grauata expellit in principio, aut forsitan grauata nō expellit: quia videlicet non potest, Medicus autem non solum imitatur naturam sed errantem corrigit, non potentis autem defectum supplet. Dices fortasse nūquam à natura expelli in principijs nisi id quòd turget, immo cōtrarium verū videtur. Nàm humor turgens naturæ vim supererat nec eidem obsecundatur.

Aduertere autem oportet, ad id quòd superius dixi, nēpe ante quàm appareat concoctio esse exhibēdum pharmacum: quoniam si incipiat materia concoqui non est natura à suo opere dimouēda, nisi forsan aliquòd

vrgens

vrgens valde magnum adſit, à quò vniuerſa methodus præuertatur. Et hinc colliges purgationem in augmẽto, atq; etiam in ſtatu poſſe fieri ſi cogamur à validiſſimo vrgẽte: neq; enim tũc Hippocrati aduerſamur qui quietem in vigore morbi habere iubet, quippe Hippocrates legitimam ibi curationem docet, non coactam qualis eſt quæ fit ab vrgente. Purgationem verò in principio factam licet multi coactam appellent, quippe non niſi magna vrgente multitudine fieri debere aſſerunt, ego regularem, legitimamq;, (ſi nõ adſint alia contraindicantia, vti magnus calor, ſiccitas, & linguæ nigredo) appellabo. Et cùm Manardo exiſtimo & Hippocratem, & Galenum, ſi medicamenta benigna, quibus nos abũdamus, haberent nobiſcum ſenſuros. Cùmq; Galenus purgationem crudorum tormina & eroſiones, & animi deliquia, creare dicat, ſi videret ex roſarum violarumq; infuſione ſyru- *4. fan. tuã, c. 5.*

pos paratos, si rheubarbarum,& alia benigna contemplaretur forsitan palinodiam caneret, cùm vero dicat, quandiu crudi sunt humores notatu dignum nihil extrahi, etiam hoc ad violentiam medicamenti refert; quippe deterretur natura à pharmaco violento, cedit autem benigniori, quòd animaduertit Amatus Lusitanus. *in fine cēt. 2.*

Sed dices euacuatio à natura facta in principio non nè est symptomatica? cur ergo naturam in ea imitabimur? symptomatica quidem est, si absolute spectemus id quòd natura deberet agere, nempè prius coquere, postea euacuare. cœterum addita circunstantia, vt scilicet materia adeò sit multa, quæ non possit à natura concoqui, profectò consulto à natura est factum quoties eam imminuit.

Receptui igitur canere oportet, diximus pharmacum minorem reddēs materiam exhiberi debere, quando mor-

morbus presens vrget, & suspicio est, nè augescente eo, vires collabantur. Sed vertite nunc vos in contrarium euentum, & quærite, si vires in præsenti langueant, morbus vero futuræ longitudinis signa secum habeat, ita vt periculũ ex debilitate sit præsens, ex morbi longitudine futurum? In hoc casu minoratiuum pharmacum vires respuunt: quippe, vti dixi non lenituum, sed catharticũ esse debet, ac proinde inter magna remedia cõnumerandum. Galenus, si exitialis morbus est, nihil mouere audet, sit ita, si certi exitij signa adsint, quòd nos suo loco quomodo intelligendũ sit pertractabimus. Sed demus morbum esse malignum, hoc est, eum qui (vt idem Galenus alibi scriptum reliquit) periculosus cùm sit, spem tamen salutis non adimit. In eo casu, quoniam debilitas nos deterret, à medicamento, materia vero purgatione posset minor & subinde coctioni magis apta reddi. Galeni consilio adiu-

2. aph. 2[…]

1. prorrh. 14

9. meth. 10

tus ad euacuationem quàm Medici græce Epicrasim vocant mè conferam: *oportet nàmq; vbi indicationes ita sibi aduersantur, & paulatim quòd vitiosum est euacuare, & paulatim inuicem quòd salubre est reponere*. Ita in curatione Illustrissimi Marchionis cùm magno artis Medicæ decore, & communi omnium applausu, felicissimoq; in valdè periculosa ægritudine euentu, prçstiti.

Itaq; quemadmodum in venæ sectione, & purgatione moderatam quādam viam dum vires, & morbus inuicem aduersantur suscipiendam ducimus, ita etiam & in victu. Quapropter, cùm virium defectum vel adesse videmus, vel futurum ex si-
prog.31. gnis suspicamur. Si inquam, vt Hippocrates admonet, vrina in corpore debili cruda sit, & timorem inijciat ęgrum morbo ferendo non suffecturum, tùnc (vt est eiusdem oraculū)
aph.8. considerare oportet *an æger sufficiat cùm victu perdurare ad morbi vigorē*.

Porro

Porro de cibãdi rõne respectu viriũ, & ægritudinis, plura apud Galenum quàm vt hic referre queã, reperies. *1. aph. 17. & 2. de vict. acut. ferè per totum.*

De Causis quæ sibi inuicem sunt causæ. CAP. XXI.

MOrbum esse aliquando morbi causam, & experimento, & Galeni testimonio constat, vt cùm erysipelas, vel alia quælibet inflammatio febrem concitat. *de morb. diff. c. 7* Aliquando causa à morbo differt, vt quando humor contentus in venis febrem accendit: quippe nõ humor sed febris morbus dicitur. Possunt igitur duo morbi sibi inuicem esse causæ, vti si continui solutio inflammationis sit causa, & rursus inflammatio causa solutionis. Quòd continuitas soluta inflammationem suscitet manifestum est: quippe, mediante dolore, naturam mouet ad mittendum sanguinem in partem dolentem. Deindè quòd inflammatio soluat continuũ, id si non

aliunde at ſaltem ex dolore, quē cōmitem habet, demonſtrari poteſt.

Poſſunt duo ſymptomata cauſæ vicem habētes inuicem ſibi eſſe cauſæ, vt dolor ex viscere in inteſtinis poteſt fluxionē augere, fluxio ad inuicē dolorē. Poteſt & morbus eſſe cauſa ſymptomatis, & inuicem ſymptoma eſſe cauſa morbi. e. g. ſi morbus in intemperamento cerebri, nimirum ſiccitas, quæ eſt morbus intemperamenti ſit cauſa vigilię, quę eſt ſymptoma, & ad inuicem vigilia ſit cauſa ſiccitatis cerebri.

Duo præterea quæ nec ſint morbi nec ſymptomata poſſunt eſſe cauſæ, & ſibi inuicem cauſæ, vt humor in capite exiſtens deſcendens ad ventriculum, auget humorem ibi præternaturam congeſtum, & humor pręternaturam in ventriculo aceruatus, poterit augere humorem excremētoſum in cerebro exiſtentem, quòd Hippocrates ſcriptum reliquit.

3. de loc. in hom. & al. 3. de c. affect. 7.

In his omnibus oppoſitionibus, ſi quid

quid eſt quod magis vrgeat, id præcipue Medici rapiet conſideratione͂, ſiuè ſit morbus, ſiuè ſymptoma, ſiuè cauſa morbi. Propterea dolor ſymptoma grauiſſimum virtute͂ ſummopere offendens indicando vincit. Dolor, inquam, valde magnus; quippe citra magnitudinem non proſternit vires, vt ſi in corpore plethorico, propter dolorem mediocre͂, ſanguis trahatur ad partem nobilem, nempè ad caput, tùnc quidem dolor, licet ſit cauſa inflammationis, non reſoluit iccirco ad inflammationem, quæ doloris eſt cauſa, non ad dolorem, qui cauſa fuit inflammationis mè conuertam.

Si autem in inteſtinis dolor fluxionem augeat, & fluxio augeat dolore͂, tùnc ex vlcere dolor augetur, qui nõ poteſt eſſe exiguus, tùm ob acutiſſimum illius partis ſenſum, tùm ob trã ſitum materiæ à quò augetur, & fit neceſſario magnus. In hoc diſcrimine dolori occurrimus, vlcere cõtem-

pto. Non nè oleum inijcimus? maximè, at oleo vlcera sordescere scribit Galenus. Ita est, sed nullam vlceris curam nos gerimus eo tempore, quo dolor nos vocat; Sed quorsum oleo vtimur in doloribus? quia nempè autore Galeno oleũ vlcera lenit, quæ & si sordibus inficiuntur, cesset dolor, & abluendi erit tẽpus. Si quęras quomodo dolor fluxionem prorritat, respondet Galenus id fieri *natura excernere, & expellere causam doloris properante, vt verò hoc faciat sanguine, & spiritu locum implente*: nàm non mittit id dũtaxat quòd oportet, sed agit quantum potest, & sic supper abundat inflammationiq; gignendæ præstat occasionem. Alia etiam huius rei potest adduci ratio, nempè partem sè sè ob dolorem comprimere, ac subinde sanguinem spiritumq; à vicinis partibus compressione attrahere. Itaq; non erunt plures trahendi modi quàm tres à Galeno traditi, calor, vacuum, & proprietas trahendi.

3. meth. med. c. 2. & 4. c. 1.

2. simpl. med. fac. c. 5.

5. aph. 53.

6. de vsu part. c. 15.

di. immò duo, nàm calor ad vacuū refertur: nec enim aliter quàm resol uens substantiam, cui inest, aliam denuò conuocat, ad vacuum etiam referetur dolor, si fiat ob compressionem: siquidem ad implendum id, quòd compressione vacuatur, aliud aliunde confluit.

Quandò verò duæ causæ, quę non sunt morbi, inuicem pugnant. Vt excrementa cerebri, cum vētriculi excrementis, prius ventriculum purgare oportet: tùm quia facilior est purgatio ex primis illis vijs, ad quas medicamentum totam suam vim habēs accedit, quod ex Galeno addisces, qui leuissimis medicamentis ventriculum purgat. Tum etiam quia plures, & magis continui, in ventriculo, cumulantur humores, quos & statim, &frequenter, euacuare conuenit: nàm, vt inquit Hippocrates, *fieri non potest quin cibus denuò ingeratur*, cibus autem denuò ingestus facilè in humores, quos reperit, conuertitur.

7. meth. c. 11

lib. de loc. in homin.

2.aph.10 Hinc oritur Hippocraticum prouerbium (ita licet appellare) *impura corpora quo magis nutries magis lędes*. Atq; hæc de causis inuicem agentibus.

De conditionibus quæ sè mutuò impediunt. CAP. XXII.

Contingit etiam duo, quę pariter vrgent, nec inuicem sunt causæ, esse tamen conditiones sinè quibus non, & sè mutuò in curatione adeo impedire, vt prorsus quid nàm ordo postulet, & quid ante quòd, quid cùm quò, quid post quòd sit curandum ignoremus. Celebre habemus huius rei exemplum apud Hippocratem his verbis. *impedimentum in cruenta spuentibus tempus anni, pleuritis, bilis*, quam sententiam Galenus exponit, quasi hæc tria sanguinis missionem impediant, nempè *anni tempus*: quoniam propè canis ortum à

6.epid.sec. 3.text.44.

venę

venæ sectione cauemus; *bilis:* quia biliosis etiam venæ sectio nocet nè biliosus humor, extracto sanguine, magis effrenis reddatur; *pleuritis* etiam: quoniã si cùm pleuritide, sanguinis sputum adsit, sanguis mittẽdus est iuxta regulas pleuritidis, non iuxta regulas missionis sanguinis. Ingenuè tamen loquar, hæc Galeni interpretatio partim erronea est, partim violenter extorta. *Erronea*, quoniam & sub cane, & biliosis hominibus venam secamus, neq; hòc est nouum, secamus autem cùm moderatione, & quod Galenus, in sanguine extrahendo, admonet, rationem habendam esse regionis ętatis, & anni temporis, magis pertinet, ad mensuram euacuationis, quàm ad eandem omnino impediendam. Profectò Galenus in calumniã incidit, quàm alijs inferebat, qui nec spontaneas sanguinis euacuationes imitari volebant. Nunquid nõ fiunt æstate plurimæ hæmorrhagiæ? nunquid non sanãtur æstate ægri per

ſpontaneas ſanguinis euacuationes, cur ergo eodem tempore nō licebit imitari naturam? Reddi autem bilē effrenem euacuato ſanguine, licet concedatur, hòc ſolum inſeruiet, vt moneamur, moderate, vbi peccat bilis, ſanguinem mittendum eſſe, & A-

lib. 1. fen. 4. c. 20. uicennam dicentem *caue nè ægrum ad alterum duorum perducas, aut frigidorum incrudationem, aut cholericorum ebullitionem*, ita intellige vt non omnino à venæ ſectione abſtineas, ſed pauciorem ſanguinis quātitatem extrahas, quàm extraheres ſi ſinè bilis commercio, peccaret. *Violenter extorta* quia ſecare venam prò ratione pleuritidis ex hòc, aut ex illo latere non eſt impedimentum: nàm ex quocūmq; latere venā ſecemus, ſemper ſanguinis ſputum rectè curabi-

5. meth. c. 8. mus. Quippè Galenus ſanguinem in ſputō cruento bis, & ter, ex vena cubiti, extrahi iubet, neq; an ab hòc, an ab illò latere id fiat ſolicitus eſt.

Laudādus hòc loco eſt Valleſius,

qui ita verborum Hippocratis veritatem attigit, vt nihil verius dici possit. Intelligit ergo impedimentum, non quòd missioni sanguinis, sed quòd curationi simpliciter obstat: quasi diceret Hippocrates, cùm quis sanguinis sputo laborat, tẽpus anni, aut valdè calidum, aut valdè frigidum impedimento est quò minus rectè curetur: quia vterq; temporis excessus, frigus, inquam, & calor sputum cruentum auget, frigus rumpẽs, calor laxans. Bilis deindè expostullat vsum expurgantium, quæ aperientia sunt, & irritantia. Tandem pleuritis non aliter curari potest, quàm excreãdo, neq; sanguinis sputo quicquam magis cõfert quàm thoracis quies, adeò vt hòc morbo laborantibus nè quidem loqui permittamus. Quòd Galenus met alibi fatetur inquiens, *etenim contraria indigent curatione sputum sanguinis, & pleuritis*. 1.aph. 16

Porrò cùm plures sint modi qui-

bus ſanguinis ſputum fieri contingit, omnium curationi hæc tria impedimenta obſtant. Sunt modi in primis tres, à Galeno traditi, vnus dicitur anaſtomoſis, hòc eſt, oſculorum venarum apertio; alter diæreſis, hòc eſt, venarũ ruptio; tertius diabroſis, hòc eſt, corroſio; quartum addit idẽ Galenus nempè diapedeſin, hòc eſt, trãſcolationem, ſiuè tranſudationem. Aſclepiades anaſtomoſin, & diapedeſin negabat: quia ſanguis craſſior eſt quàm per exiguos meatus, & anguſta nimis vaſorum oſcula egredi poſſit. Verum deceptus fuit: nàm ſanguis aqueus, & ſeroſus poteſt per meatus tranſcolari, poteſt & per venarum oſcula egrediens viam ſibi dilatare nõ aliter ac ruptis aggeribus magno impetu fluuius erumpit.

lib. diff. ſympt. c. vlt. & 4. loc. aff. c. 5

5. meth. c. 2.

Igitur fluenti ſanguini per anaſtomoſin obeſt tempus anni calidum, vt etiam obeſſe poteſt fluxui qui fit per diapedeſin: calor quippe laxãs meatus omnes aperit, adeò vt tranſuda-

tioni detur occaſio, aperit & venarũ oſcula tùm quia laxantur earundem tunicæ, tùm quia ſanguis redditus calidior pũgẽdo reſerat, hinc eſt quòd hæmorrhagiæ per nares multæ in æſtate calidiſſima accidunt. Fluxui verò ſanguinis qui fit per diæreſin ſeu per ruptionem, frigiditas nocet: * frigidum enim venas frangit & tuſſim mouet, tuſſis concutiendo eaſdem rũpit. Habes quomodo anni tempus, tùm calidum, tùm frigidum ſputò sãguinis obeſſe poteſt. Aliud deindè impedimentum, videlicet bilis, corroſione ſua, impedit curationem fluentis ſanguinis per abroſin: nàm quæ dabitur medella vbi adeſt cauſa quæ ſemper malum auget? Sed accedamus ad pleuritidem quæ eſt impedimentum quòd ad præſens inſtitutum pertinet: nàm anni tempus, eſt quidem conditio ſine quà non, quæ nocet ſputò, ſed ſputum non nocet inuicem anni tempori; bilis magis eſt ſputi cauſa quàm conditio. Sola pleu-

* *Hipp. 6 epid. ſect. 3 text. 14*

ritis ſi cùm ſputò ſanguinis ſimul vrgeat impedimentũ,& porrigit,& accipit. Impediuntur quidem sè hæc duò ad inuicem, non tamẽ vnum alterius eſt cauſa,ſed ſola conditio ſinè quà alterum curari nequit. Rem ita accipitò dùm nõ intelligas mè loqui de ſputò ſanguineo, quem in pleuritide ſanguinea ſicut flauum in bilioſa apparere dixit Galenus,ſed de ægrotante qui prius vno ex prędictis modis ſanguinem ſpuebat poſtea verò pleuritide fuit correptus.

6.aph. 33. & alibi ſæpe.

Hi duò affectus, ſcilicet cruenta ſpuitio,& pleuritis,sè sè inuicem augent,& præterea sè sè inuicem in curatione impediunt. Augent sè sè inuicem, quoniam pleuritis (teſte Galeno) tuſſim facit, quæ ſpuentibus ſanguinem nocet; rurſus ſputũ ſanguinis partes thoracis debiles & ad recipiendum faciles reddit,ac ſubindè facit vt pleuritidi materia copioſior ſubminiſtretur. Impediunt sè sè in curatione, quoniam pleuritidem

2. cauſ. ſympt. c.4.

non

non aliter quàm expectorantibus curabis, in quem vsum oximelite vtuntur Hippocrates, & Galenus, & meritò, cùm enim sputum intus retentũ (vt Galenus ait) possit suffocare, & interimere, eum cogimur prouocare, quod non nisi per tussim fieri Galenus notat, nempè *si fuerit tenue, & ab initio exiguum, cùm vehemente tussi, vbi verò concoctum, & plus, atq; crassius cùm minore tussi*. Hæc autem curatio contraria est curationi, quæ sputò sanguinis debetur; in quò affectu nihil magis commendat Galenus quàm omnimodam quietem: quippè iubet vt ægrotans nec magno vtatur respiratu, & semper silentium agat: quòd si nec respirare, nec loqui licet, quãtò magis metuẽda est tussis, quę, teste Galeno, si vehemens sit, poterit vasa pectoris rumpere: nàm, vt ab eodem * est dictum, *sine vehemente thoracis tractione tussire nemo potest*, vehementem autem contractionem excipit vehemens dilatatio, quę cruẽ

4. loc. affect. c. 8

5. meth. c. 8.

6. epid. sect. 3. com. 18.

** 4. loc. affect. citato.*

ta ſpuentibus pernicioſa eſt.

Quàm igitur viam in hoc biuio cõſtitutus Medicus accipere debeat nõ
2.aph.16 admodum conſtat. Galenus, qui hos duos affectus contrarias expoſtulare curationes fatetur, quaſi oſcitanter, ait, occurrendum eſſe ei, qui magis vrget. Verum ego Galeno offerrem ægrum aliquem, in quo vtrumq; malum grauiſſimè vrgeret nec ſinè noxa vnius poſſet alterum curari. Nàm ex hæmoptoyſi periculũ immineret nè vita cum ſanguine funderetur, ex pleuritide non expurgata ſtrangulationis diſcrimen. Vrgetur vtrinq; æger, vrgetur & Medicus prorſus conſilij inops.

Dum hanc difficultatem mecum peruolutarem, occurrit inprimis poſſè aliquandò vtramq; curationẽ conuenire, nempè ſi materia pleuritidis ſit adhuc cruda, ac tenuis, ſi ſimul ſanguis ob tenuitatem tranſudetur, aut ob acrimoniam ſibi exitũ faciat: tunc enim tàm pleuritis, quàm hæ-

moptoys

moptoys incrassantia remedia expostulant. Pleuritis quidem vt per sputū facilè educatur: quippè educitur per impulsū, videlicet per tussim. impulsus autem commodè prestatur vbi aliqua adest resistentia sic saxum melius quàm floccum proijcimus vnde Galenus, *tenuis*, inquit, *humor cùm sublevatus est inter tussiendum ab spiritu diuisus restat*. Hæmoptoys autē si (vti supposuimus) ob tenuitatem, acrimoniamuè, accideret, nullo commodius fræno regeretur, quàm conciliata crassitie. 4. *de loc. affect. citato*

Si verò materia pleuritidis non ob tenuitatē, sed ob visciditatem screatu difficilis sit, tunc quoniam nō possumus non cruentò sputò, curatione pleuritidis, nocere: etenim vti diximus oximelitide, & alijs incidētibus indigemus, moderatè id prestandum est, nec nisi præhabito prognostico tentandum: quippè licet in hòc casu deplorata res sit, nō tamen ita deplorata, vt omninò prognosticis relin-

qui debeat, sed sufficit consanguineis prius descrimen ostẽdere, vt saltem, si æger intereat, medicus culpa vacare cognoscatur. Duplex morborum lethalium genus statuo, quidam sunt prorsus lethales, vt hectica vltimi gradus, Phthisis, Cancer, quẽ melius est non curare, apoplexia fortis quàm soluere est impossibile, hos existimo à Galeno deploratos appellari, quos solis prognosticis relinquendos esse contendit. Alij sunt morbi qui maiori ex parte interimunt, vt febris pestilens, vt reliqua quæ signa habent ab Hippocrate dicta lethalia, in his, ex Celsi consilio, *melius est remedium anceps experiri, quàm nullum.* propterea est quidem in his periculum prædicendum non tamen æger solis prognosticis relinquendus, sed aliquid christiana pietate peragendum, vt si possimus laborantem è periculo liberemus.

6. aph. 51

Varij morbi in intemperamento simul existentes quomodo tractandi.

CAP. XXIII.

VNum, & idem intemperamentum potest in diuersis locis diuersos morbos excitare, & tùnc à parte affecta variæ summuntur indicationes. Vti si inflammatio simul in renibus, & in iecore, aut simul sit in pulmone, & in capite. Erunt morbi complicati, non confusi: nàm ex eodem intemperamento morbi confusi fieri nequeũt, quippè morbi confusi in eodem simul loco sunt, duo autem temperamenta, v. g. calida in vno & eodem loco in vnũ coalescent & sic erit vnus morbus simplex, non duo confusi. Itaq; complicata intemperamẽta si alterum sit in corde, aut in iecore, alterum in quouis alio membro, semper aut iecoris, aut cordis maior habenda est ratio: siquidẽ hæc duò membra (vt autor est Galenus) *art. med. c. 42.*

vniuersum corpus immutādi vim habent. Iccirco quamuis aliquando simul cùm calida iecoris intēperie caput, aut renes valdè incalescant, & grauissima indè oriantur symptomata, nempè ex capitis calore continuę vigiliæ, ex renibus nimio calore infestatis diabetica passio, profectò nec sic, iecoris prouidētia omittenda est, sed ei summopere incumbendum, quòd tibi facilè erit: nàm per ea quę intus assumuntur, nullam corporis particulam poteris infrigidare, quin iecur simul eodem benificio nō gaudeat; exterius autem alterantia, & huic & illi parti possunt sinè nocumētò adhiberi.

Opposita intemperamenta, in varijs membris, complicatos efficiunt morbos. Frequentissimum est simul cùm intemperie calida iecoris, frigidam adesse vētriculi, quòd Galenus adnotauit. Huius rei causam nō nulli referunt ad Omenti inopiam, vtunturq; comparatione ducta ab ijs qui in

3. facult. alim. c. 16

in Epigaſtrio vulnerati fuerunt,quibus,vt Galenus ait,Omentũ per vulnus exire debet,quòd ſi exeat neceſſariò putreſcit ex Hippocratis oraculo, quapropter diligenter eſt reſecãdum. Ex hòc vulnere,vt Galenus eſt teſtis, *patiens frigidum ſentit ventriculum, minuſq; concoquit, ac pluribus operimentis extrinſecus eget, & maximè quando inſigni, quòd abſciſum eſt, fuerit magnitudine.* Hinc probat Omẽtum calefaciendi ventriculum gratia eſſe factum, * narratq; fuiſſe gladiatorem, cui aliquandò ferè totum Omentum abſciſum fuit, *homo autẽ ſanatus quidem confeſtim eſt, ſed tamen adeò facilè & patiebatur, & lædebatur à frigiditate externa, vt non ſubſtineret nudum habere ventrem, ſed lanis aſſiduè eſſet obuolutus.* Igitur cùm ſectio Omenti ventriculum, quaſi hac veſte ſpoliatum, frigidiorem reddat, ſimiliter, ex eadẽ pinguedine liquefacta, atq; exhauſta, propter nimiam incumbentis iecoris caliditatem, ven-

6. meth. c.4.

6.aph.58

4.vſu part. c.9.

* *4.vſup.cit.*

triculus nudus, & subindè frigidus, reddetur.

Hęc comparatio explodenda est, nàm ex vulnere relinquitur paucitas Omenti, neq; supponimus caliditatem iecoris, at in eiusdem Omenti liquefactione remanet Iecur calidissimum vẽtriculo incumbens, quòd potest Omenti inopiam supplere.

Alij hanc oppositionem aliter interpretantur, videlicet, quoniam calor iecoris immoderatus exiguũ uentriculi calorem depascitur, nõ aliter ac radius Solaris flammam, quòd à Galeno accipiunt, dicentè, *Quòd si in multo Sole, & calido, & aprico loco, aut ad alteram maiorem flammam ad moueris, tùnc quoq; minorem flammã marcescere videbis: quoniam exterior flamma pabulum minoris absumit.* Verum isti dicipiuntur: etenim ut hòc in duabus flammis est uerum, ità in duobus caloribus falsum: siquidem isti sè sè mutuo fouent.

de morb. caus. c. 3.

Thomas Rodericus à Veiga, hanc

oppo-

oppositionem naturę acceptā refert: sicut enim in varijs speciebus apparet in genere aquatilium, quæ simplice cuti molli teguntur, nil habentia extra corticis, intrò sunt magis crassa, & terrea, vt Congri, & Lampetræ. Quæ verò squammis teguntur carne sunt molliore, & humidiore, eo quòd terreum secessit ab extima, quæ verò testa & crusta teguntur, vt locustæ, & magis testudines, & Ostreæ carne sunt, & humidissima, & laxante. Sic intra vnam accidit speciem, vt si hepar valdè labitur ad calidum mēbra alia, maximè vicina, vt vētriculus, destituantur calore, & refrigerentur. Hæc ille, qui præter quàmquòd in veritate eorum, quæ in exemplum affert, labitur, frustra etiam ad naturam refert, quòd præternaturaliter fit.

Mihi potius dicendum videtur iecur impensè calidum initio ventriculum calidum reddidisse, cæterū progressu tēporis ventriculus præterna-

turali calore plus nimiò affectus, (cùm caloris sit attenuare & rarefacere) tenuitatem, raritatemq; acquisiuit, immo & frigiditatem: quippè membrum rarum, & tenue nec sanguinis, nec spirituum (quæ duo calidum innatum dicuntur) satis habet. Et ecce tibi quid sit imbecillitas tàm ventriculi, quàm cuiuspiam alterius membri, nempè substantiæ tenuitas, & intemperies frigida: nàm è cõtrariò robusta pars, & sanguine spiritibusq; satis abundans, est quæ operationes rectè obire potest, operationes etiam fiunt à calore, quàpropter debilitas membri, & præcipuè ventriculi ex Gal. doctrina, *aut ad meatuum immoderationem, aut ad qualitatum intemperiem* est referenda. Hæc autem duo aduentitij caloris multitudo præstare potest, immò hæc duo hepar impensè calidum ventriculo necessariò præstat: quãdoquidem & caliditas meatus reserat, & eadem, preternaturalis cùm sit, naturalem

de differ. morb. c. 5

calo-

calorem absorbet, nec nouum est & inauditum morbos frigidos ab excessu caloris gigni vide hydropes, & catarrhos; & hòc ita sè habere fateberis. Sed dices non nè à frigido hepate frigescit ventriculus? ita est, sed quid prohibet duos effectus diuersos, imò etiam & contrarios ab vna, & eadem causa procedere, dummodo non vtrobiq; sit causa per sè verum in altero, aut in vtroq; per accidens? Frigescit ventriculus à frigido hepate à quò calorē, quem accipere debuerat, non recipit; frigescit rursus à calido hepate, à quò & in substantia, & in temperamento vitiū suscipit. Quæret alius cur excessu caloris extranei extinguitur prius ventriculi, quàm hepatis innatus calor? Sciat oportet ventriculum partem exanguem quopiam exiguo defectu deficere, lecur multò sanguine, & spiritibus, hòc est, multò calido innato redundans longè potentius extranei caloris actioni resistere.

Castrens. Huic

Huic mẽbrorum oppoſitioni prius quàm opponatur Medicus conſiderare debet quænam ingentis caloris in hepate ſit cauſa: poteſt namq; in primis eſſe obſtructio: nam, vt Galenus eſt autor, *hepar tùm ob viarum angustiam, tùm ob copiam pertranſeuntis ſubſtantiæ obſtructionibus facilè corripitur*. At obſtructum viſcus incaleſcere, oſtendit alibi, exemplo fornacis cui foramina ſint concluſa, & cucurbitulæ, qua medici vtuntur. Itaq; ſi obſtructio cauſa eſt, cur Iecur flagret eius curatio nihil ventriculo nocebit: curatur namq; per detergentia, extenuantia, aperientia, quæ omnia etiam excrementis pituitoſis in ventriculo exiſtentibus conferunt.

de conſt. art. med. c. 17.

de cauſ. morb. c. 3

Rurſus in Iecoris obſtructione cõſideret an obſtructio euenerit vitio formationis, ſi videlicet patiẽs ex naturali ſtructura anguſtiores, quàm pareſt, habeat venas: is enim ſemel curatus frequenter in idẽ recidit malum, ac propterea nõn ſolum in ęgri-

tudi-

tudine, sed etiam sanitatis tempore extenuantem victus rationem expostulat, vt Galenus aliquando obseruatione fuit assequutus; propterea idem met alibi in obstructionibus lecoris, extenuantem commendat victum. Si verò Iecur propter lenti, & crassi humoris multitudinẽ obstruatur, tùnc valida detersio expostulatur, conuenitq;, ex Galeni decreto, diatrion, pipereon, & oximeli, in quò nullum ad mixtum sit medicamentũ non familiare.

art.med. c.87.

6.san.tu. c.7.

6.san.tu. citato.

Obstructum Iecur cognosces tùm ex tactu, tùm ex vrina, tùm etiam ex faciei colore: licet enim Iecur sit calidum tamen deminute concoquit: quippe extraneus calor non sinit innatum rectè operari, &, vt Galenus ait, quæ lecoris meatus obstructos expediunt eadem tarditati coctionis conduncunt, indè colliges ex obstructionibus tarditatem coctionis fieri. Ex deminuta preterea coctione fit vt cibus multo tempore in Iecore deti-

6.san.tu. citato.

neatur, vndè oritur inappetētia: quippe *quò minus animal esuriat* (ait Galenus) *causa est alimenti in Iecore abundantia*. Sitis tamen viget: quoniam prẹternaturalis caloris scintillẹ exsiccantes sitim excitant, vt apparet in febre ardente.

nat. facul. lib. 3. c. 13

Si verò caliditas Iecoris nō ab oppilationibus proueniat, sed à calidorum vsu tunc difficilior est curatio: cùm enim medicamenta, quæ per os assumuntur prius ventriculū ingrediantur, postea verò Iecur, si refrigerantia sint, debent prius vētriculum quàm Iecur refrigerare, vndè vniuersum corpus damnum sentit, nàm ab inconcocto alimento parū nutritur. At quò magis ventriculus laborat, eò deterius fit nutrimentum, quantumuis Iecoris tēperies optima sit. Nàm vitia prioris concoctionis in secunda non corriguntur, sed si prima sit laudabilis, secūda & tertia fiunt optimè vt colligitur ex Galeno. Est igitur ventriculo etiam cura adhibenda.

lib. de cib. bon. & mal. succi c. 5.

Pro-

Propterea, si Iecoris calida intemperies sit cum affluxu materiæ, purgandi sunt biliosi humores cùm rhabarbaro, hiera, & similibus, quæ ventriculum quoq; corroborant. Sin calidam intemperiem nudã esse contingeret, tunc exterius Iecori epithemata, & vnctiones frigidas applicabis, & quæ per os assumuntur erunt aquæ stillatitiæ quę facultatẽ habeãt celeriter transeundi, nè ob moram in ventriculo noxa cõtrahatur, semper tamen membri robur, seruãdum est addito aliquo astringente, quòd doctrinam Galeni sępè repetitã sapit.

Cerebrum etiam facilè frigidam suscipit intemperiem Iecore adhuc existente calido: quippe à calore pręternaturam spiritus debellantur, & caput, præ innati caloris debilitate, (superante eò qui præternaturã est calor) non potest humores ad ipsum transmissos concoquere, propterea accumulantur plures quàm vt retineri queant, vndè meritò Galenus 3. sympt. caus. c.4.

catarrhum diarrhææ comparauit. Itaq; calida cerebri intemperies meatus capitis ampliores reddit, caputq; carne spoliat, iccirco qui ita sunt affecti facilè ab iniurijs externis patiũtur, & quo nam sint prediti capitis temperamento prorsus ignorãt: quãdoquidem tàm à calido quàm à frigido aère leduntur.

Res ergo ita sè habet, qui calido sunt Iecore (vt Galenus ait) plurimo halituosoq; sanguine abundant. Halitus isti ascẽdunt ad caput quod vel à prima origine fuit frigidum, & sic facilè catarrhis vexatur, vel fuit calidum & tractu temporis oppressum multitudine halituum mutatur in frigidum. Ideò senes quamuis ab origine capitis intemperiem calidam habuissent, in vltima etate, superãte calore preternaturali, & deficiẽte naturali in raucedines, & grauedines quæ (iuxta Hippocratis doctrinam) coctionem non admittunt delabi solent. quare senile temperamentum hoc

3. loc. aff. c. 7.

2. aph. 40

hoc eſt, ſiccum, ab excrementis dicitur humidum.

Eſt in hac oppoſitione inter Iecur calidum, & caput frigidũ magna capitis habenda cura: quippe ex pituitoſis congeſtis pericuſoſa accidunt mala, apoplexiæ, epilepſię, ſoporoſi affectus, catarrhi ſuffocantes. Hos præſtiterit ſæpius purgare, in quem vſum pillulæ ſolent eſſe accommodatiſſimæ, quas poſt exactam totius corporis euacuationem poterit quiſpiam ſibi facere familiares aſſumens tres qualibet vice ſemel in hebdomada. Vtrum verò antè an poſt cœnã exhibendę ſint diuerſo modo ſentiũt autores. Sunt qui eas antè cœnam ſumendas eſſe contendant vt ſimul cùm vapore ciborum aſcendant etiã halitus medicamenti purgãtis, & materia facilius à capite extrahatur. Verum tamen Auicenna, Damaſcenus, Rabi Moſe, & Rhaſis in ſuis aphoriſmis pillulas ſolito maiores, vt diutius in ventriculo immorẽtur pro- *aph. 30. & in aph. ad filium 16.*

pinant duabus horis post cœnam ante quàm æger dormiat. Verissimum profectò est vapores pharmaci per vniuersum corpus permeare, quòd indicat vrinarum tinctura,& eosdem irritare,& stimulare omnes corporis particulas ad expulsionem. Cęterum hi etiam vapores post cibum, & per somnum ascendunt. Vndè optimè Matheus de Gradi in affectibus capitis syrupos alterantes serò post cœnam, sine aquis, exhibebat. Præterea non isti vapores sunt, qui humores prolectant; sed medicamenti pars crassior, quæ remanet in ventriculo, hæc est quæ ad sè vndecumq; humores trahit, quòd Mesue affirmat his verbis, *non putes autem medicamentũ purgans in ventriculo receptum ad humorem vacuandum penetrare, sed vi attractrice delectu quodam cognatum sibi humorem, & familiarem ex venis, & corporis meatibus sensum latentibus ad sè in ventriculum, & intestina rapere, quomodo magnes ferrum, & succinũ*

festu-

festucam, & alia quædam trahunt. Sic Mesue. In eadem sententia est Auicenna. Paulus etiam *Lithyridis grana si integra vorentur imbecillo existẽte ventriculo, etiam si minime atterantur, minimeq; in corpus permeent, valde purgare* testatur. Nec verò pillula magna offertur ob aliam rationẽ nisi quia diutius in ventriculo detenta potentius ad ipsum trahit, Serapio cùm prædictis autoribus sentit, inquiens, medicamentum non accedere ad humorem sicut magnes nõ accedit ad ferrum, quamuis Septalius eum pro contraria sententia citet A- ristoteles quidem aduersatur, inquiens, purgantia medicamenta in omne corpus peruadere, & noxium humorem quasi vinctum reducere in ventrem; sed in excusando hoc errore laborant aliqui. Septalius Aristotelem ita dixisse ait, *non quod existimauerit totam vim attractionis medicamentorum in eò consistere, vt dissolutum, & quasi in atomos diuisum, to-*

a 1 4.1.c.4. in fin.

lib. 7.c.4

lib. 7. c. 10 sec. 1. prob. 42

tum per venas ad humores noxios perueniat, vt aliquibus visum est. Hæc expositio licet Aristotelis verbis non valdè quadret, quippè medicamentum, non vaporosam duntaxat partem, per venas permeare dixit, nihilominus veritatem in sè continet. Nàm (vti diximus) vapores à medicamento emissi irritant partes ad expulsionem, quòd tibi manifestũ fiet, si consideras pharmaca aliquando solo odoratu purgare. Dubitabis forsan quomodo medicamentum in vẽtriculo existens ad sè trahat humorẽ, si humor non ad ventriculũ, sed ad hepar, & indè ad intestina deducitur. Scitò humorem tractum vi medicamenti à venis ad hepar, molestata hepatis expultrice ad intestina demitti, & ab intestinis excerni: quippè medicamentum in ventriculo existens ad sè trahere contendit, non potest autẽ suum finem consequi, quoniã expultrix Iecoris, & intestinorum, tractricẽ medicamenti valdè superat.

De

De Complicatione Morborum, in hypochondriaca melancholia.
CAP. XXIIII.

Consequutione sermonis ad affectum hypochondriacum accedamus, in quò prędicta oppositio inter ventriculum frigidum, & Iecur calidum sæpe reperitur. Diocles, relatus à Galeno, hunc affectum, eiusq; causas optimè describit, quem tamen Galenūs, reprehendendi auidus, reprehēdit, quòd metum & mæstitiam duo melancholiæ inseparabilia symptomata omiserit. Esto, concedamus ei neminem melancholicum dici, cui hæc duo non adsint, non nė potest hypochondriacus morbus fieri cerebro in consensum non accedentė? potest quidem, licet negandum non sit tractu temporis tandem, in cerebro susceptis halitibus, quos hypochondria mittūt, ægrum melancholicum euasurum. Cæterum dum melancho

licus affectus dici nõ meretur, appellabimus, cùm eodem Galeno, hypochondriacum flatum. Quare immeritò Manardus Mantuanos Medicos reprehendit, quòd ad quendam nobilem virũ scripserint eum laborasse hypochondriaca, seu myrachiali affectione, cùm mente sana constaret. Rectius illos reprehendisset si eundẽ melancholia hypochondriaca laborasse dixissent. Nàm affectione hypochondriaca multos vexari obseruamus, quibus vel nihil, vel parum admodum mens vexatur, ij videlicet quorum cerebrum vaporum susceptioni validissimè resistit. Itaq; quoniam, ingrauescentè morbo, non potest non patiens mœrore affici, meritò hypochondriaca, vna ex tribus melancholiæ speciebus statuitur; sũt quidem tres. Prima, in quà cerebrũ proprio affectu laborat; altera cùm totius corporis consensu patitur; tertia facta per consensum cerebri cùm hypochondrijs, quæ ideò hypochon-

3. & 5. loc. aff. 2. sym. caus.

lib. 17. epist. 1.

driaca, & ab Arabibus myrachia nũcupatur. Hæc tertia propter affectuum multiplicitatem, quàm in sè comprehendit, inter morbos complicatos locum habet: quippè nõ eſt vnus morbus, ſed aggregatum ex multis. In primis in ventriculo ſaltem in eius infimo ore (piloron, ſeu portonarium vocant) inflammationem adeſſe, Diocles ex aliorum ſententia dixit, Galenus confirmauit. Dioclis verba ſunt, *aiunt autem non nulli vẽtriculi os, quòd inteſtinis continuatur, in huiuſmodi paſsionibus inflammari.* Galenus fere eadem ex propria ſententia protulit, *atq; videtur quidem in ipſo inflammatio eſſe.* Inflãmationis indicia reperies inter ſigna huius affectus à Diocle relata, quorum vnũ eſt *æſtus in hypochõdrÿs*, alterum ſumptũ à iuuantibus, & nocentibus: quippè *offenduntur à calidis cibis.*

Reluctantur multi, neq; inflammationem admittunt, inter quos eſt Rõdoletius inquiens, neq; probo Dio-

clis,& Galeni opinionem,qui dicunt os ventriculi, quòd inteſtinis continuatur, inflammari: ſi enim inflammaretur, & in tumorem eleuaretur, febris continua eſſet,vt in alijs inflãmationibus internis, ac morbus acutus eſſet. At in hoc affectu neq; febris adeſt, neq; morbus acutus, ſed qui in multos menſes producitur.

3.collect. c.40. in fine. Auerrous (qui Galeno fere ſemper ſè sè opponit, & in hoc voluit eũ tueri,) poſſe ait, eſſe vt apoſthema fiat poſt declinationem apoſthematis: quia tunc dicendum eſt quòd nõ remanſit ex calore extraneo tantum, vt ſit ſufficiens ad febrem faciẽdam: ſed eſt tantus, qui ſufficit ad læſionẽ faciendam ſtomacho, & cerebro ſolum, & hanc mouere paſſionem, excepto autem hoc modo impoſſibile videtur illi hanc paſſionem fieri ſine febre. Verum non indiget Galenus hac expoſitione: quippe hic affectus non ſemper in declinatione inflammationis aduenit immo vrgente illa:

Auicenna putat Galenum intellexisse in hoc morbo inflammari piloron, & tumorem pati, non tamẽ semper sed frequenter, sic enim inquit, *& in ipsa quidem multoties eleuatur ab aposthemate portonariarum hepatis, & aduritur sãguis mirach, et est illud quod Galenus posuit causam in melancholia mirachia*. Dixit multoties, hoc est, frequenter. Cæterum si frequenter esset aposthema, frequenter hic morbus esset acutus cùm febre, quòd tamen falsum esse experimento constat. Amatus Lusitanus in scholij cuiusdam initio Galeni, & Dioclis mẽtem percepisse videtur, qui postea nescio, à quò dæmone seductus, in fine aliter dixit, ait igitur in principio, *Gal. ex Diocle nõ ab inflãmatione seu aposthemate meseraicarũ morbũ hunc fieri tradit, sed potius a calore excessiuo, & ĩmoderato venarũ meseraicarũ*; hacten⁹ optimè. cur ergo postea ait, ex aliorũ opinione Dioclẽ fieri hũc morbum tradidisse ob inflammationem, siuè

in capite proprio

Cent. 4. curat. 54

aposthema in pyloro ortũ, quos Galenus sequi videtur? ipse viderit. Mihi manifestissimum est Dioclem ex propria, & ex aliorum opinione & Galenũ similiter solo inflammationis nomine fuisse vsos. Inflammatio autem non semper prò abscessu accipitur, sed aliquando prò phlogosi, hoc est, prò ardore, & flammea quadam dispositione, & sic in affectu hypochondriaco accipi debet. Immo Diocles manifestè sè ipsum declarat inquiens, *suspicandum est plus caloris quàm decet habere in ijs venis, quæ alimentum à vetriculo excipiunt*. Et paulò post, *sed quòd calor id, quòd secundũ naturam est, excedat, facillimè intelliges, tùm ab æstu qui ipsis accidit, tùm ab ijs quæ ingerũtur: si quidem iuuari videntur à frigidis cibis*, dixit *plus caloris quàm decet*, dixit, *calorem id quòd secundum naturã est excedere*, quasi præuidens posterorum cæcitatem in huius sententiæ explicatione, atq, ita non inflammationem, hoc est, tumo-

rem

rem præternaturā, sed inflammationem, hoc est, ardorem, calorisq; excessum se intellexisse declarat. Quòd autem apud Galenum inflammatio prò sola phlogosi aliquando accipiatur, patet tùm quia id ex antiquorū loquendi modo adducit nec refutat, 5.aph.65 eius hæc sunt verba, *saneq; hoc ipsum nomen inflammationis antiqui omnes magis inflammationibus etiam sine vllo tumore adaptabant,* [a] idem in febribus putridis ex inflammatione ortis vocabulum inflammationis non secūdum veterum consuetudinem accipiendum esse ait: quasi in alijs acci pi possit, quod [a] alibi etiam refert, Et Gorræus animaduertit ab Erasistrati tēporibus incœpisse inflāmatio nes appellari tumores præternaturā.

[a] 2.cris.c.9.

[a] 1.ad Glauc.c.vlt.

Est & aliud morbi genus in hypochrōdiacis affectibus nempè obstructio: quam etiā Diocles agnouit saltem in venis meseraicis ob sanguinē in ipsis crassiorem factū: omnis enim humor crassitiem habens potest ob-

ſtruere, licet ſi lentor adſit pertinacius inhæret. A Diocle accepit Auicenna. Vtrum verò ſemper in affectu hypochondriaco reperiatur obſtructio? aliqui dicunt non neceſſariam eſſe obſtructionem ſed abſq; illa poſſe affectus hypochōdriacos exiſtere. Quòd probant quoniam poteſt à liene humor melancholicus mitti in ventriculum, & detineri ita, vt mittat vapores ad caput tunc erit melancholia ſinè alicuius partis obſtructione. Et quoniam poſſet aliquis dicere cauitatem ventriculi occupatam ab illo humore, debere offenſionem ſentire, quam tamen non ſentit. Reſpondent ab eo humore non ſentiri in ventriculo læſionē ſeu potius eum humorem non facere obſtructionem cuius lęſio reperiatur in ventriculo.

Cæterum quicquid iſti dicant mihi videtur affectum hypochondriacum ſinè obſtructione non poſſe euenire: ſi enim fiat à ſanguine detento, & red-

& reddito crassiore, in venis meseraicis, manifestum est sanguinem ibi, nō nisi oppilationis occasione, detineri. Si fiat ab humore regurgitāte ex liene vix concipi mente potest hæc regurgitatio sinè obstructione. nàm vel regurgitat quia non receptus, vel quia multus. Si quia non receptus manifestum est non recepi, quia lien est obstructum, quò vitio facilè laborat ob humoris crassitiem: si regurgitat quia multus, non potest tāta melācholici, & subindè crassioris humoris multitudo accumulari in liene, quin eius meatus, aut vasa non obstruat. Ergo & flammeam dispositionem, & obstructionem, quæ duo mala in affectibus hypochondriacis concurrere voluit Diocles, perpetua sunt, neq; potest longo hòc affectu aliquis laborare, quin hæc duo non patiatur.

Adhuc magis manifestè probare possumus obstructiones in hoc affectu necessario adesse, nempè ex cru-

ditatibus, qua probatione Diocles fuit vsus, inquiens, *Quippè constat has venas esse obstructas, vel hòc argumento quòd alimentum corpori nòn distribuitur, sed in ventriculo manet inconfectum, quum antea ipsum à meatibus susciperetur, magnaq; ipsius pars in imum ventrem secerneretur.* Ructus acidos hypochondriaci patiuntur, qui cruditatis sunt soboles, vt Galenus millies inculcauit, *euomunt* prçterea *crudos cibos, & phlegmata sub amara, & calida, & acida, adeò vt nonnunquam dentes torpedine afficiantur.*

3. caus. symp. c. 1. & lib. 1. loc. aff. c. 4 & lib. 2. acut.

Cæterùm quæsitu dignū est, cùm phlegmata sub amara mixtionem ostendant bilis, cùm pituita, si vomitio calida, & acida, calorem cùm frigiditate confusum prçseferūt, quomodo hæc contrarietas stare possit? quæ etiam apparet quoniam ita affecti nō nunquam accidum, nōnunquam nidorosum eructant? In huius difficultatis explicationem, scire expedit, in affectibus hypochondriacis, diuersas

partes

partes affici: non dico diuersas, hòc est, modo hanc modo illam: quamuis hòc quoq; verum sit vt inferius ostẽdam, sed dico diuersas simul, hòc est, iecur, & venas meseraicas, calida intẽperie genita ab obstructione: quippè sanguis detentus propter obstructionem assatur, & calor propter eãdem non transpirans augetur, vẽtriculi vero frigiditas adest, propter affluxum materiæ siuè sit melancholia naturalis ex liene regurgitans, siuè pituita ex retento cibo, & imperfectè cocto ibi relicta. Fit ergo vt in Iecore calidiore bilis generetur, quæ abũdans trãsmittatur in ventriculũ, atq; cùm melancholia, aut pituita ibi existentè, commisceatur, efficiatq; subamaram pituitam, & nunc vincentè frigiditate ructus fiant acidi, nunc superante calore nidorosi.

Nec mirum ex hac diuersitate flatus excitari: quippè calor attenuat materiam, & à frigore impeditur nè eã penitus queat dissipare, à flatibus

autem descendẽtibus fiunt dolores, præcipuè ante perfectam ciborũ coctionem, quoniam, dum ij in ventriculo detinentur, magis implet, & descendunt; *cibis concoctis dolores quiescunt, mox alijs cibis ingestis, eadem rursus accidẽtia reuertuntur.* Fluctuatio etiam ab eisdem flatibus solet accidere: quippè materiam flatulentã ventriculus non complectitur, quòd
differ. sym pt. c. 4 Galenus nos docet his verbis. *Imbecillo quidem complexui, fluctuationes cum sonitu, quas clydonas vocant.* Fit etiam in mesentereo fluctuatio: quoniam hypochõdriaci imbecillum habent Iecur, sanguinemq; ichorosum conficiunt, quo venæ implentur, cùmq; mesenterei calore pinguedo, quę est inter duas membranas, euanescat, decidit ex mesenterei venis in capacitatem eiusdem ichor. Et quia mesentereum intestinis alligatur, motione intestinorum aqua illa in capacitate contenta fluctuat. Nec verò existimes aquam quæ in hypochon-

driacis fluctuat in ventre eorum con tineri, nàm sic omnes hypochõdriaci essent simul hydropici quòd tamẽ raro accidit, est igitur in mesentereo, & ideo propterea inter duas mẽbranas clausa, difficulter educi potest.

Sentiunt etiã hypochondriaci pulsationem valdè magnam in mesentereo, huius rei duplex esse potest causa, prior phlogosis quæ partem illam corripit; quippè aucto calore augetur arteriarum pulsatio, vt apparet in ijs, quibus per febres arteriæ temporum vehemẽter pulsant, & in ijs quibus à meri potu caput dolet, vt Galenus ait, sentitur autem magis in huiusmodi ægrotis, quia hi, vt plurimũ, extenuationem patiũtur, atq; (vt est Galeni sententia), *motum non perinde omnium sentias, sed in partibus nulla tectis carne, clarius: in carnosis obscurius*. Immò de hac ipsa arteria ibidẽ in hunc modum scribit, *quòd si vehementer emarcuerit, arteria, quæ sita est secundum dorsum tangẽtibus abdomẽ*;

1. diff. pul. c. 9. & 1. prorrh. com. 3.

de puls. ad tyr. c. 1.

motum sæpè numero repreſentat. Alia cauſa eſt arteriæ conſtrictio à glādulis quas natura in meſētereo poſuit, *vt ſint fulſimentum* (inquit Veſalius & alij) *vaſorum, quæ per meſentereum copioſæ diſſeminantur*, nè ſcilicet in magnis, & violentis motibus diſrumpantur. Falloppius vt obſtent quò minus vaſorum ductus comprimantur, vel à repletis inteſtinis, vel à prono incūbente animali, vel compreſſo ab domine aliquo alio modo.

Hæc glandulosa corpora in hypochondriacis, (vt teſtatur Mundinus, *in ſua anatb. c. 13* cui aſtipulatur etiam Carpus) replentur humore atro melancholico, nempè ſanguine aſſato, qui in vaſis multiplicibus, quibus meſentereum abundat propter eiuſdem partis calidam intemperiem, continetur, ac ita replèta vaſa, ſed præcipuè glandulosum illud corpus quòd inſigniores, ac primas vaſorum diſſectiones ſuffulcit, comprimitur arteria magna quæ iuxta venam cauam per dorſi medium

verſus

versus sinistram partem perrepit ex compressione autem arteriam attolli, dixit Galenus, *nam non solum dolor inflammatis partibus oritur eò quòd dū attolluntur arteriæ ab adiacente carne comprimuntur, & ipsam comprimunt, sed eadem de causa inflammatæ partes pulsant, & quanto maiores fuerint tumores, atq; inflammatorij affectus, tanto magis, & pulsatio, & dolor aderit*, & alibi, *pulsationem magnæ phlegmones proprium esse symptoma*, scriptum reliquit. Tandem nos id experimur dum in carpo arteriā tangimus, quippè si leuiter tangamus motum naturalem percipimus, arctius comprimē tes, aliquātulum maiore pulsatione, digitos percuti manifestè percipimus, maiore conatu natura arteriam mouente, vt onus sibi graue propulset. At si arctissime arteriam comprimamus mox motum percipimus, succumbente natura oneri grauissimo; cuius propulsationem non potest assequi.

2. *loc. aff. c.* 1.

14. *meth. c.* 1.

Porrò, ex multis aliorum mēbrorum consensibus, potest similiter hypochōdriaca melancholia ortum ducere, * Paulus dixit procedere *ex inflammatione præcordium* a Trallianus, *Ventrem & præcordia* recenset. Neotericus quidam *ex vitio lienis* posse ait os ventriculi molestari. Auicenna tres alias partes recenset, nàm non solum posuit Iecur, & lienem, & mesentereum, hęmorrhoidas, & cor, sed etiam vterum, cuius etiam meminit Hippocrates in Libro de Virginum morbis, vbi incipit, *est enim muliebris natura animi magis deiecti, & imminuti.* Constat etiam ex Galeno homines, ex retento semine, fieri melancholicos, nàm *quidam vxoris mortem lugens, & à concubitu quò antea fuerat vsus abstinens cibi cupiditatem amisit, ac nè exiguum quidem cibum concoquere potuit, vbi verò sè ipsum agēdo plus cibi ingerebat, protinus ad vomitum excitabatur, mœstus etiam apparebat, nō solum ob has causas, sed etiam, vt melancholici*

lib.3.c.14
a lib.1.c.14
6. loc.aff. cult.

cholici solent, citra manifestam occasionem, verum hic ad pristinam consuetudinem reductus, celerrimè liberatus est. Horatius Augenius recēset sè vidisse puerum laborantem melancholia, ascendente ex planta vtriusq; pedis flatu frigido, qui habebat omnia symptomata huius morbi, proportionéq; respondebat speciei epilepsiæ, quæ fit aura frigida ascendente ex pedum digito, vel alia parte ignobili. *tom.2.lib. 11.epist.2.*

Curatio ante quàm adhibeatur prę dicere oportet, ex Dioclis sententia, morbum futurum diuturnum. tunc remedia parentur nō valdè in qualitatibus excedentia, sed nimis moderata: cùm enim inter duo contraria versemur frigidum ventriculum, & hepar calidum, oportet ad vtrumq; respicere. Purgatio ergo facienda non cùm violentis medicamētis quę vētriculi, & hepatis robur iàm prius demiuutum destruunt. Itaq; potius repetitas exercere conuenit exiguas purgationes, quàm semel magnas.

Et quoniam varij humores in hoc affectu peccant, memoria tenendū est, in pręparatione humorum, ius pulli, ex Galeni decreto; omnes humores contemperare possumus in eò herbas, melancholicam prauitatem corrigentes, decoquere vt est borrago, lupulus, melissa, pimpinella, flores etiam cordiales, aut condita ex ijs. Missio sanguinis, ex Galeni consilio, laudatur dummodo sanguis sit crassus, & ater sin minus euacuatio supprimenda est.

3. loc. aff. c. 7. Balnea aquæ dulcis summopere laudātur à Galeno dicentè, *testor vos omnes qui mè curantem vidistis solis balneis mè multos curasse*. aquæ thermales si quæ detergendi, sine calore, vim habent, optimæ sunt, conueniūt ex mineris calchanti, & ferri, in sex rebus non naturalibus cùm omnimo da se gerat moderatione.

De

De febre. Cùm alui fluxu.
CAP. XXV.

MVltoties ſymptomata effatu digna febribus eueniunt, quæ faciunt vt complicatas morbus habeat indicationes, & multiplicati ſeu complicati affectus dicantur. ſympto matum plurima enarrat Galenus in capite huic rei dicato. Verum inter omnia difficultatem habet adueniēs febri, alui fluxus: quippè an ſpernen dus ſit, an adiuuandus, an prohibendus? hæſitant Medici. Galenus nihil peragendum eſſe arbitratur, ſed totum naturæ permittendum, *quamuis non ſit prò multitudinis ratione*. Alibi tamen nō ſemel euacuationes deminutas ſuppleri iubet, in quò ſibi cō trarius videtur.

1. de art. cur. ad Glauc. c. 14

1. aph. 20

9. meth. c. 5.

Oportet conſiderare alui fluxum poſſe accidere in febribus ſymptoma ticum, aut criticum. Symptomaticum appello, qui fit non in die criti-

ca, & nullis præcedentibus signis coctionis, num Galenus de hoc loquatur, an de fluxu critico, qui aduenit in die decretoria, præcedentibus signis coctionis, dubitare potest aliquis: nàm ex vna parte cùm de symptomatibus, quæ febribus aduenìunt, ibi agat, de symptomatico fluxu intelligi debet, ex altera parte, cùm dicat, *quàmuis non sit prò multitudinis ratione*, videtur insinuare fluxum illum quidem ex eò damnandum quòd nō sit in debita quantitate, ex alijs verò laudandum, ac propterea intelligendus videtur de crisi imperfecta. Ego tàm de hòc, quàm de illo fluxu putò Galenum intellexisse, & fluēte aluo, in febribus, censuisse expectandum esse, nec ægrum euacuantibus auxilijs, siuè sit sanguinis missio, siuè purgatio in grauiora periculā deducendum.

Et quòd attinet ad euacuationem symptomaticam si vires nimium debilitet cohibēda est, si aduenìat cùm

tolerantia, relinquenda. Sed dices non nè si tolerantia adsit, desit verò conferentia, debemus nos adiuuare motum naturæ, vt tandem id, quòd in corpore detentum nocet, extractũ proficiat? non nè hòc est euacuationes deminutas supplere? non nè in hunc vsum minoratiua inuenta fuisse diximus, vt scilicet motum imperfectum naturæ ars suppleat?

Respondeo non sibi contrariũ esse Galenum, nàm dum ait, *sed neq; si fuerit febris cùm profluuio ventris, alia est opus euacuatione*, ostendit fluente aluo in febre quamuis fluxus lente, deminuteq; procedat, non esse adiuuandum: quippè *cum aluus fluit*, si symptomatice hoc fiat, febris, propter humoris agitationem, est aucta viresq; non satis constãt: nàm in euacuatione in quà nõ est ex parte morbi conferentia, ex parte ægrotantis non adest tolerantia: qui enim fieri potest, vt euacuentur humores, natura sè sè molestante, & ægro peius habente,

 bente,

bente, & simul vires constent? siquis verò interroget, cur ergo Hippocrates tanquàm duo distincta signa posuit conferentiam, & tolerantiã si sufficeret dicere conferentiam, vt intelligeremus simul tolerantiam. Dico tolerantiam sequi ad conferẽtiam, & conferentiam ad tolerantiã, sed quia signa sunt alterum ex parte ægrotantis nempè tolerantia, alterum ex parte morbi nempe conferẽtia vtriusq; mentionem fuisse factam, vt ad vtrumq; respicientes minus decipi possimus.

Dixi *dum aluus fluit* quoniam cessante hoc symptomate, si visum fuit vtilitatem quampiam attulisse, non verò omninò febrem sanasse, tunc locum habet consilium Galeni sæpius repetitum, euacuationes deminutas esse supplendas cognoscimus enim fuisse deminutas ex effectu quoniam scilicet vtilitatem attulerunt, sed non omnem. Atq; ita manet sibimet cohęrens Galenus, qui & fluen-

te

te aluo in febribus non admittit aliã euacuationem,& post fluxum demi-nutum suppleri iubet, & ita naturam imitabimur, iuxta Hippocratis præceptum, *quo natura vergit per loca conferentia eò ducere.* 1.aph.21

Si verò euacuatio fuerit decretoria aduertò euacuationis mensuram, vel sumendam esse penes præsentem statum, vel penes futurum. Potest ergo aliqua euacuatio videri deminuta in præsente, quæ tamen in futurum perfecta euadet. Vt autem id dignoscamus, attendere oportet ad signa, quę concurrunt, tùm ex parte humoris, tùm ex parte ægroti, ex parte humoris, si iàm sit perfectè concoctus, & fluxioni paratus; si sit acer,& stimulans: talis nàmq; licet lẽto gradu moueri incipiat, fieri non potest quin vlterius progrediatur, maximè si adsint omnia illa requisita ad perfectam crisim quæ habentur apud Galenum. 1.aph.20
Ex parte verò ægroti si ille alui fluxui fuerit paratus: propterea Auicen- a 1 4.1.c.5.

na, *naturam*, inquit, *mollificare antequàm vēter soluatur, est competens regula, in quà existit securitas, nisi in eò qui diarrhææ est valde aptus: ex hòc namq; nihil isti est faciendum: quoniam esset causa superfluitatis, quę ei accidit.* Et paulò infra eodē capite, edoctus

6.aph.32 ab Hippocrate, *traulos*, ait, *esse ex eis, qui diarrhęę sunt parati, quare fortia medicamenta non substinent.*

Igitur cùm huiusmodi accidunt signa, quibus iudicamus euacuationē satis bene responsuram, non oportet aliud quidpiam moliri, quòd nos ad-

1.aph.20 monet Hippocrates dicens. *Quæ iudicantur, aut iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare, siuè medicamētis, siuè aliter irritando, sed sinere.* Sed dices Hippocratem in crisi perfecta abstinendum à medicamento purgāte dixisse, Galenū verò præcipisse sistere licet imperfecta sit crisis, quòd significasse videtur ijs verbis, *quāuis non sit prò multitudinis ratione.*

Vt huic obiectioni faciamus satis respi-

respicere oportet ad Hippocratis verba. cùm enim ait, *quæ iudicata sunt* nihil penitus nos docet: quippè vnusquisq; absq; artis præceptis nouit, post integrè iudicatum morbum, nihil esse agendum. cùm verò idẽ ait, *quæ iudicantur* magnum artis misterium reuelat, quòd exacti iudicij medicum expostulat. Et vt clarius dicã, *quæ iudicata sunt* cognoscere inartificiosum est, sed *quæ iudicantur* nõ cognoscet nisi qui in artis operibus valdè fuerit versatus.

Quomodo verò possis, quæ iudicãtur, dum adhuc iudicantur, cognoscere, num ad perfectam iudicationem peruentura sint. an infra mansuram Galenum ducem habes, qui in hunc 3. cris. c. 3. modum scriptum reliquit; *cùm vniuersa benè tibi fuerint explorata, tunc euentus iàm tibi sunt considerandi: si enim dum ægrotans iudicatur febris soluatur, atq; alijs accidentibus liberetur, & melius fuerit coloratus, prò ratione euacuationis, cùm melioribus pulsibus,*

& ad surgendum robustior, hæc optima crisis est: Si verò ex his aliquid desit, tãtum ab optima deficit, quanta est eius quòd deficit vis. Hactenus Galenus, qui dum ægrotus iudicatur, attendit ad euacuationem, vt cognoscat num
9. meth. c. 5. sufffectura sit. Apertius hoc docet, alibi his verbis. *Itaq; si tempore mittẽdi sanguinem, menses moueri contingat, siuè etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspectus fluẽtis impetus satis fore videbitur, qui solus quòd requiris euacuet, naturæ rem omnẽ permittes, sin minus tantum ipse detrahes, quò ex coniunctis ambobus perficiatur quòd postulas.*

Galeni igitur mens est, vt dũ euacuatio adest, licet tunc non sit prò multitudinis ratione, si tamen adsint signa, vel ex parte humoris, vel ex parte ægroti, ex quibus speramus hanc euacuationem, ad debitã quantitatem peruenturam, nullo modo alia artificiali euacuatione vtamur, nè in super purgationis damnum incur-
a 1 4. 1. c. 3. ramus, ideò Auicenna, ventrem, in-

quit,

quit, soluere, supra ventris solutionem est timorosum.

Cùm verò non adsunt prædicta signa, nec aliquid est, quòd euacuationis progressum nobis polliceatnr, immo verò omnia hanc euacuationem infra mediocritatem permansuram ostendunt, tùnc temporis relinquitur locus communissimæ Galeni, omniumq; autorum doctrinę, qua deminutas euacuationes iuuare præcipimur.

De affectu phlegmonoso.
CAP. XXVI.

PLenitudo simul, & cacochymia in corpore ęgrotante possunt existere, quę si in venis sint confusum morbum efficiunt, si quodlibet istorum in diuersis locis tunc complicatio est, dicam prius de confusis. Et quamuis in alijs morbis confusis, cōfusa requirantur remedia, nihilominus in cacochymia, & plenitudine,

non possumus vnum remedium con ficere confusum: quippè plenitudini debetur sanguinis missio, cacochymiæ purgatio, hęc autem duo nō possunt simul & semel in vnum venire, sed vnum post aliud.

Stante ergo pari vtriusq; remedij necessitate communis omnium consensus tenet incipiendum esse à missione sāguinis: tùm quia ab eò quòd est securius exordiri oportet; tùm etiam quia id quòd alteri viā præstat, prius est assumendum. At sanguinis missione prehabita feliciter succedit purgatio, quòd manifestè probat Galenus, nec cuiquam dubium esse potest. Etenim si ex Hippocratis decreto *corpora cum quispiam purgare voluerit oportet fluida facere*, idq; fit, vt in commento ait Galenus, *meatus reserando, & crassos, tenacesq; humores incidendo, & attenuando.* primum, nempè viarum apertio, per sanguinis missionem fit, quia per illam plenitudo minuitur, & subindè corporis mea-

de dignot. ren. c. 15.

2. aph. 9

tus tàm conſpicui, quàm ſenſui occulti laxiores, patentioreſq; redduntur. Quare pharmacum exhibitum venas, arterias, & inanitates corporis penetrans, nulloq; impediente, in vniuerſum corpus se conferẽs facilius humores ad ventrem cõfluere cogit. Secundum verò, videlicet, craſſiorũ, viſcidorumq; attenuatio, atq; inciſio eò melius à natura peragetur, quò magis iàm per oneris detractionem emendandæ humoris nocui qualitati poſſit incumbere.

E' contrariò ſi præpoſtero ordine medicamentum purgãs venæ ſectioni præmittamus, ex eo vel nullus, vel certè infelix ſuccedet euentus. Nàm cùm nimia vaſorum plenitudo, obſtructiones excitet, purgationi impedimento eſt. Præterea medicamẽtum calore, trahendiq; facultate, humores exagitans corpus multitudine grauatum perturbat, & in graue diſcrimen adducit. Adde *ex pharmaci aſſumptione* (quòd Auicẽna ſcriptum

reliquit) *vbi venæ sectione opus erat, febrem vna cum perturbatione excitari*, quæ si opportunis non sedetur remedijs, tunc prò comperto erit sanguinis missionem necessariam fuisse. Tandem medicamento vasa hepatis, & mesenterei obstructa inueniente,
5.san.tuè. (vt superius ex Galeno diximus) alui tormina, cruciatus, animi deliquia, excitantur, & nihil effatu dignum educitur. Hæc quæ dicta sunt ita accipitò vt sanguinis missio pręponatur dummodo (vti initio dictũ manet,) par vtriusq; auxilij necessitas adsit, par inquam, aut saltem non valdè dispar, si enim magna disparitas adsit, tunc locũ habet præceptum quo occurrere præcipimur ei, quòd magis vrget. Secundo dictum accipitò si sanguinis missionem conferas cùm medicamento electiue trahẽte, tùnc enim sanguinis missio pręferenda est,
a 1. hòc nos docuit Auicenna, inquiens,
4.1.c.4. non longe à pr. *vbi autem venæ sectione, & alui ductione opus fuerit, veluti veratro, & alijs*

valen-

valentioribus medicamentis, tunc à venæ ſectione incohandum eſt. Nominauit veratrum, & alia fortiora medicamenta, innuens vtriuſq; auxilij debere eſſe neceſſitatem, ad inanienda ea vaſa, ad quæ non quælibet pertingũt medicamenta. Aduerte tamen nos ſuperius tractaſſe de exhibẽdo pharmaco purgante in principio, nulla habita coctionis ratione, nunc autem de purgante medicamẽto, ſi conferatur cùm miſſione ſanguinis & par vtriuſq; neceſſitas adſit.

De alijs verò mitioribus, & quę leniendo ſolum, primam corporis regionem purgant, longe aliter dicendum eſt: ab ijs enim ante venę ſectionem meritò incipiendum eſt. Primò quia vitioſus humor è vijs ductuũ facili negotio trahitur. etenim ſi partibus inhæret leuiter, à medicamento ſinè difficultate trahitur, ſi verò tenacius leuiſſima coctione præparatur, vt potè quòd educendum eſt à pharmaco totis viribus ibi agente, non ſi-

cut in distantioribus membris, quò soli vapores ijq; nimis refracti mittuntur.

Secundò quoniã mala primæ corporis regionis difficilius tolerantur: excitat quippè humor in illa parte contentus nauseam, dolorem, æstum, oris amaritudinem, aut saporem aliũ iniucundum, cibi fastidium, suffocationem, præcordiorum anxietudinẽ, syncopem, aliaq; symptomata, cùm tamen plenitudo solo tensionis, aut ponderis sensu, & pigritie ad motum infesta sit.

Tertiò propter nocumentũ, quòd ex vena secta, cruditate existente in ventriculo, sequetur: propterea Galenus distulit (vt ipse narrat) venę sectionem, ob coctionis tarditatem, edoctus scilicet ab Hippocrate, qui hoc obseruasse fertur. Ergo si ciborum cruditas præcedat, tantoperè dif ferre venę sectionem iubemur, quantum satisfacere, tùm ad eorũ coctionem, tùm vt excrementa descendãt,

9.met.c.7.

3.epid.sec. 1.tex.2

videbitur. Quapropter expectare oportet donec vel à natura, vel ab arte fuerint sublata. Alioquin secta, atq; ex inanita vena crudioris succi portionem in sãguinis locum rapiet, & lecur, exhaustaq; corporis vasa sordidum aliquid è fœcibus exugent. Nàm, vt Galenus ait, *aliquid eorum, qui in corpore sunt, humores, remigrat ad venas.* 4. san. tuē. c. 19. & c. 20 Et Auicenna, *à cibi repletione non phlebotomandum esse* præcipit, a 1. 4. 1. c. 20. nè venæ incoctam aliquam materiã trahant loco eius, quod per eas euacuatur. Et Auerrous, *non debere fieri,* 7. coll. c. 1. inquit, *phlebotomiam nisi post corporis mundificationem: quia quando venæ à sanguine sunt euacuatæ sugunt superfluitates malas, ad nutriendum ineptas, & ab his malam acquirunt temperaturam.* In eadem sententia sunt Rhasis, [a] Zoar, [b] Auicenna, [c] Aëtius, [d] Paulus, [e] Actuarius, [f] Haly. [g] Igitur vt eleganti * Fernelij oratione vtar) *graui sanè dispendio naturæ ordinem prævertit, quicumq; impuritate relicta, pu-*

a 9. ad Alm. c. 21
b Lib. 1. thes. sir. c. 8.

f 4 1 trac. 2.c. 45 *rum, syncerumq; sanguinem profundit à venis, quiq; venas sectione inanitas* d terrab. 2. serm. 1. c. 71 *implet fœda illuuie rapta à primis sedibus, quę quasi sentina est omnis impuritatis.* Hoc igitur impedimento sublato festinãdum est ad sanguinis mis- e lib. 1. c. 1. & lib. 6. c. 40 sionem.

f 3 meth. c. 18. Cæterũ non omnino religiose hoc præceptum est obseruandum nàm vt g 9. pract. c. 2. *minimè crudo sanguis mittẽdus est* (inquit Celsus) *ita nec est perpetuum, veluti quandò aliquis cecidit, ab alto, vel* * lib. 2. c. 14. l. 3. c. 8 *strangulatur.* Etenim si grauis vrget necessitas vt quandò siuè interceptionis venarum, siuè suffocationis, siuè similium periculum imminet, sãguis prius mittendus est, quemadmodum in phrenitidis curatione præcipit A- a ij l. 3. tract. 3. c. 3 uicenna, his verbis, *& cùm phlebotomaueris eum, tùnc oportet vt ipsum clysterizes,* quod quidem faciendum in morbis valdè vrgentibus didicit ab 4. acut. 21 Hippocrate, qui venæ sectionem, & 4. acut. 75 postea clysterem fieri iubet, si vehemens, & magnus fuerit morbus, &

paulò infra agẽs de peripneumonia, & pleuritide, si dolor acutus fuerit, sanguinem ad animi vsq; defectũ extrahi, & postea clysterem exhiberi iubet. Cum tamen nulla vrgente morbi acutie, nulloq; imminente vitæ discrimine, clyster prius sit inijciẽdus, vt deinde sectio sequatur. Et Auicenna caue nè phlebotomes fęce sicca in intestinis existente, quòd siquis, ad hoc munius exequendum, clysteris iniectionem nullo pacto velit admittere, huic aluus medicamento aliquo lenienda est, in quẽ vsum maximè idonea est cassia fistularis, quàm immeritò Fernelius reijcit tanquàm minus potentem. Est cassia ventriculo purgando idonea, vt poteque ibi, vt iàm diximus, tota virtute potest operari, nec tenacitas humorum ab hac regione, tàm expulsioni est impedimento, quàm quum è venoso genere educere tentamus. Confirmatur hoc ex Galeno, qui in ventriculi, & intestinorum cacochymia medicamẽ

a 1 4.1.c.20.

7.met.c. 11

ta modicè purgantia decernit, quorum vis supra ventriculi, & intestinorum loca non ascendat; aut si quid vltra progrediatur, vasa quæ in mesentereo sunt duntaxat contingat.

De plenitudine, & cacochymia in diuersis locis.

C A P. X X V I I.

POssunt diuersæ cacochymiæ diuersa loca occupare, vt in muliere illa, quæ apud Pantimedem habitabat, cui, cùm febre ardente, & valdè biliosa laboraret, *aluus erat turbata multis, tenuibusq; & crudis*: de qua
3.epid.sec.
2.tex.7
Galenus *consentaneum est in tota mol corporis huic mulieri biliosum fuisse ac ceruatum humorem, in primis autē venis lactium, & simis iecoris cruda contenta*. Hæc erat vna ex ijs, cui conueniebat, ante venę sectionem, leniente pharmaco vti, vt scilicet cacochymia, in primis vijs existens, minueretur nè postea tracta ad venas

ina-

inanitas per sanguinis missionem maioris mali esset causa.

Porrò cacochymiam in prima regione, plenitudinem in venoso genere reperiri posse docemur ex Galeno, dum proponit æstuationes ventriculi simul *cum plenitudine* totius neq; enim Aldinus codex, quem sequitur Martinus AKaKia recipiendus est, vbi legitur *citra plenitudinẽ*, melius Leonicenus ex codicibus antiquis manu scriptis *cùm plenitudine*. sunt autem æstenuationes quas aliò nomine, cardiogmos, hoc est, cordis morsus appellamus, cùm scilicet, in ventriculo, dolores acuti,& efferuescentia sentitur, & anxietas adest, adeò vt ęger nullo decubitu possit acquiescere, qui affectus differt à syncope ratione maioris, aut minoris: quemadmodum enim vertigo fit ex minore causa in capite; ex maiori verò epilepsia,& ex maiori adhuc apoplexia ita ex humorum prauitate in ore ventriculi fit cardiogmos,crescẽ

1. ad Gla. c.14.

te verò causa animi deliquium, quòd lipothymia appellatur; si verò nimium sit aucta, succedit syncopa ex qua multoties æger nõ restituitur ad vitam.

In hòc casu interrogat Galenus, num occurrendum sit febri ex plenitudine ortæ, auxilio petito à sanguinis missione, aut etiam à purgante medicamento sicut facere oporteret si febris sola sine hòc symptomate adesset, an potius omittenda febris curatio & incumbendũ duntaxat ventriculi corroborationi? Respondet ille ventriculum esse corroborandũ, & interim cessandum ab omni alia euacuatione. Neq; verò quomodo ventriculus corroborandus sit, ibi docet, sed inferius, dum syncopem curat, hòc videtur insinuare.

Cæterum vt hæc Galeni doctrina ab expositoribus sinè dubio recepta, in examen trahatur, scire oportet, ex ventriculi cacochymia, magnas ortũ ducere anxietudines, quibus æger se

se in lecto iactat,& pedes detegit,vnde Hippocrates *si verò nudos habeat pedes, nec admodum calidos, ac manus, collum, ac crura dispergat inæqualiter, malum est: significat enim inquietationem.* Porrò humor prauus os ventriculi infestans, æruginosa bilis, vt plurimum esse solet, quę in ventriculo consistens,non tantum prędictorum symptomatum occasio est, verum etiam aliorum vehemētium, conuulsionis nimirum, syncopes, frigidi sudoris, pulsus in extremo parui,quem admodum Galenus est testis. Quæ omnia in iuuene quodam siccissimæ, calidissimæq; naturæ, febrem ex hoc humore patiente, sè vidisse, narrat Conciliator. 1.prog.12. 12.meth. c.vlt. differ.91.

Si quis igitur in hac pulsuum paruitate, & via ad syncopem venam secet, periculum est nè syncopem accersat,& subindè mortem. siquis rursus in magno hoc æstu ventriculi medicamentum purgans assumat, crescente æstu, aduretur, & ad eum deuenier

ueniet ardorem, cùm quo vita constare nequeat.

Conueniet igitur prius ventriculũ corroborare, tùm exterius adhibitis fomentis ex mentha, absynthio, rosis vino maluatico exceptis, adiunctis etiam speciebus diarrhodonis abbatis, & aromati rosati, tùm etiam vino granatorum bibito, & electuarijs corroborandi, & venenum refrenãdi vim habentibus.

Porrò vnum cognitu est necessarium, nempè materiam quæ in ventriculo cõsistens hæc excitet symptomata interdum non fluere aliundè, interdum autem ex quolibet alio mẽbro in ventriculum propelli. Itaq; cùm suam sedem propriam in vẽtriculo habet, nec amplius eò aliunde confluit, plerumq; continenter affligit, licet aliquando magis, aliquando minus: in accessionibus enim febriũ à calore febrili commota, & veluti efferuescens molestior efficitur. Ita in aliquibus quidem magis ante cibum

bum, aliquibus magis poſt cibũ, prò diuerſa humoris natura, ſemper tamen moleſta eſt.

Vbi autem aliunde confluit ad vẽtriculum, ſolet plerumq; per periodos fatigare, & rationem periodorũ, ac febrilium acceſſionum ſequi, & cùm acceſſionibus inuadere, ipſiſq; remittentibus remitti, vt in tempore interualli in intermittentibus febribus intermittãt eiuſmodi ſymptomata, in continuis autem aliquando intermittant, aliquando verò & ſi modo creſcant modo remittantur nunquam tamen intermittãt, ſicuti neq; febres.

Quando ergo illa intermittunt, tẽpore intermiſſionis, quando ventriculus quieuerit, poſſumus, & ſanguinem mittere, & purgare ſi id opportunũ viſum fuerit, neq; vlla inde noxa ſequetur. Cùm autem Galenus euacuationem prohibeat intellige eò tempore, quò ventriculus æſtuat.

Cæterum mihi dubiũ videtur quo

modo membri cacochymia laborantis robori incumbēdū sit ante quàm illud repurgemus. Profectò praui humores in ventriculo existentes veluti quædam causa continens anxietatis censendi sunt, quam nisi auferamus nihil nos profecturos certū est; atq; ita dum tempus inutiliter in corroborando consumimus, malum augetur, & ab æstuatione aut si magis placet, à cardiogmo deueniemus in syncopen quod magnopere est cauendum.

Cæterum Galenus in rheumaticis affectibus quamuis dicat curationē esse non euacuatione sed corporis totius corroboratione adiungit, *quāquam tamen curationis initium illis à misso oriatur sanguine, ac si excremēta prauam etiam qualitatem habuerint vna adhibeatur purgatio.* Vndè constat, vel ex eiusdem Galeni doctrina, ante corroborationem præmittendā esse sanguinis missionem, & totius corporis purgationem. In hac difficultate

de rat.cur. per sang. miss.c. 8.

cultate

cultate recurrendum est ad magnitu dinis morbi, & symptomatum considerationem: si enim dolor ventriculi sit magnus ita vt secum pulsuũ prauitatem, sudores etiam, & crebras exolutiones habeat, nihil quòd euacuet tentandum, sed soli corroborationi ventriculi incumbẽdum: sin autem ventriculi affectus non ita valenter naturam opprimat, non erit extra rationem lenitiuum exhibere, quòd facili negotio partem materiæ in vẽtriculo existentis secum vehet, neq; hoc (vt ego puto) Galenus negaret si medicamenta lenientia habuisset. Cùm igitur de purgatione lenitiua loquimur, licet nobis nec Galenum, nec Hippocratem duces assumere: si quidem de ijs quæ illis non fuerant nota nullam nobis doctrinam relinquere potuerunt. Miror tamen posteros, qui Galenum clausis oculis recipiunt nec in eius placitis exequendis ob hodierna medicamenta lenio-

ra aliquoties à summo rigore deflectunt.

Et quòd magis in hòc negocio est mirandum, omnes qui Galeni librũ de arte curatiua ad Glauconem interpretantur, cùm eodẽ nihil in cardiogmo agendum suadent. Rursus omnes qui practicas scribunt, in cardiogmo purgationes instituunt; & aloen etiam à Galeno in hòc casu laudatam recipiunt: quippè Galenus stomachichos, qui videlicet varia patiuntur ventriculi mala, & anxietudines, ac syncopas, purgat hiera quàm picram id est, amaram appellant Medici.

8. compos. med. secund. loc. c. 2.

Respondebit aliquis Galenum in lib. local. curare stomachichos sinè febre, & sinè plenitudine, in lib. ad Glaucon. agit de vitio stomachi cùm febre. Sed non videt febrem illic nihil efficere, immò eam non curandã esse, ex Galeni decreto, sed curandã ventriculi anxietudinem nõ per eua

cuantia

cuantia, verum per corroborantia. in lib. autem loc. euacuantia admittit, nec verò febris lenientia respuit immò multo melius sine ventriculi affectu eadem expostularet.

Si febris, vel fortis æstus fuerit in ventriculo, Rudius decoctionem, vel etiam infusionem pulpæ electæ tamarindorum ad drach. 4. vel 5. exhibet, vna cùm manna, vel syrupo ros. solut. vnc. 3. Si verò cardiacus adsit affectus, & os ventriculi à prauis, & virulentis humoribus, vel vaporibus afficiatur, tùnc ex bolo armen. terra sigillata, margaritis, & ebore vsto, cornu cerui, osse de corde cerui, & similibus, vtendum est, præcipuè, vbi in consensum cor trahitur, sic etiam in dolore ventris, ab euacuata pituita, Galenus laudat, vt patiens sumat porrum, & betam, cùm synapi quorum opè incisa pituita large per aluū excernitur. *in lib. 2. de anxietate seu angore.*

Sed dices Galenum esse intelligendum de forti dolore, tunc enim eua-

cuationem tentare non conuenit, sed vti roborantibus ac etiam anodynis adeò, vt in summo discrimine ad obstupifacientia etiam deueniendũ sit, nempè ad philonium Romanum, & requiem Nicolai, si ita intelligas Galenũ nihil singulare nos docet, quippè hęc curatio omni violẽtissimo dolori, in quacumq; parte corporis existenti, conueniens est.

Cùm verò sola adest roborandi os ventriculi necessitas Auicẽna laudat rob cytonorium, vel rob aut syrupom omphancinum, eandem vim habet oxisaccharum, vel de acido limonum, aut ex succo rosarum rubearũ. In febribus æstuosis, & biliosis probatur succus granatorum, siuè solus tribuatur, siuè panis in eò infusus.

Extrinsecus etiam multa parari solent, quæ astringendo corroborant, in cuius rei gratiam scire oportet robur membri in astrictione consistere, *quę enim immoderate laxant* (inquit 2. ad Gla. Galenus) *soluunt robur quarè & membri*

bri vigorem. Vndè Aquilo exſiccans; mēbra corroborare dicitur; Auſter laxans, & humeſtans, robur ſoluere.

De palpitatione legitima, & non legitima; ſimul confuſis

CAP. XXVIII.

Confuſe admodū de vtraq; palpitatione, legitima, & ſpuria autores loqui video: pręſtiterit ergo rē hāc dillucidare. Eſt palpitatio in genere, *dilatatio, & conſtrictio præter naturam*, ſic deſcribitur à Galeno in libello de rigore, tremore, & palpitatione. At quoniam in lib. de cauſis ſymptomatum dilatationis duntaxat meminit, exiſtimat Albertinus ſola dilatatione palpitationem conſtitui, verum decipitur: ſiquidem, dū dilatationem meminit, non negat cō ſtrictionem, quam alibi admittit. Cęterum duplex cognoſcitur palpitatio, quædam eſt legitima, quæ (vt Ga- *de rigor. et palpit. c. 5* *2. ſympt. cauſ. c. 2.*

2. caus. sympt. c. 1. lenus testatur) à solo fit morbo, natura nullas suppetias ferente. Morbi nomine intelligo etiam causam morbificam vnde rectè à Galeno motus arteriarum follibus comparatur, in quibus datur attractio, & expulsio, palpitatio vtribus qui implentur, & vacuantur. Alia est non legitima seu spuria, quæ fit à virtute fortiter agitata, de hac agit Galenus sæpissimè, 4. diff. pul. c. 11. quam, inquit, *pulsum*, appellari, & 2. prog. c. 28. eam non nulli deliri habent. Itaq; 1. epid. sec. 3. com. 19. 4. aph. 65 & 3. in primū. prorr. com. 52. 6. de placit. c. 1. quemadmodum legitima omnibus membris accidit, sic illegitima cordis & arteriarum est propria. Cùm dico legitimā omnibus membris accidere nullum excipio, sed cor etiam inter alia numero, cùm * Galeno, cu* 2. caus. symp. c. 2. ius hæc sunt verba. *fit palpitatio in omnibus corporis particulis, in quibus dilatatio; & distensio accidere possunt: non enim profectò os, cartilago vè vnquam palpitant propterea quòd dilatari nequeunt. Ergo sæpè in cute incidit, non nunquam etiam in subditis illi musculis,*

sculis, non in postremis autem in vëtri-culo, vesica, vtero, intestinis, iecinore, liene, septo transuerso vnoq; verbo in omnibus, quæ distendi, dilatariq; possunt, ita vt tùm arterijs, tùm cordi ipsi videatur incidere, aliusq; in his præter pulsum motus esse.

Mercurialis, & Eustachius non ad mittunt palpitationem istam legitimam in corde, & hæc Galeni verba quæ ita manifesta sunt in interpretatione non indigeant, Eustachius in hunc modum interpretatur. Dupliciter hæ partes, quas Galenus ibi cõmemorat, considerari possunt, vt sũt cauitate donatæ, & dilatari, & constringi possunt, & hòc modo ex parte palpitationis, non repugnat, vt in arterijs, & corde possit oriri ad differentiam ossium, & cartilaginum, & neruorum. Vel possunt considerari in quantum calidissimæ sunt, & vt sunt receptacula caloris innati, & influentis, & densitate præditæ, & prout naturaliter dilatantur, & constrin-

guntur, & hòc modo legitimam palpitationem admittere nequeũt. Hòc innuit Galenus arterias, & cor vltimo loco ponens, & inquiens non fieri, sed *videtur fieri*; quasi dixerit ratione cauitatis earũ posse fieri: eandẽ
1. epid sec. 3. com. 4. ferè sentẽtiam habet alibi Galenus.

Sinistra tamen est isthæc interpretatio. Nàm in eodem loco Galenus dixit indifferenter partes molles cauitatem habentes posse hòc symptoma pati, si autem in corde, & arterijs esset aliquid repugnans, neq; cor neq; arterias inter has partes collocaret. Præterea hanc esse Galeni sententiam ex aliò loco licet colligere.
lib de tre. rig. & palpit. c. 5. Praxagoram reprehendit duntaxat quia existimabat *solas arterias palpitationem subire*, non quòd dixerat *arterias* palpitationem pati sed quòd addiderat *solas*, palpitare autem arterias tanquàm verum omittit & admittit.

Neque verò rectè colligit ex eò quòd Galenus dixit, *videtur fieri in*

corde & arterijs, non existimasse fieri. nàm *videtur* dixit: quia in corde, & arterijs, nō ita manifesta est palpitatio, vt in alijs partibus, quibus motu pulsus obscuratur sensus. Itaq; nihil est in corde, & arterijs, quare repugnet fieri in eis legitimam palpitationem. Neq; verò (quòd illi putant) nobilitas cordis obstat quò minus flatus vel aliundè recipiat, vel in sè gignat, neq; necessariū est ad palpitationem vt instar vtris cor distendatur. Præstantissimam, fateor expultricem habet, sed & alię partes hāc facultatē pro indigentiæ ratione possident, alioquin male cùm illis egisset natura. Flatus autem non in substantia cordis solidissima, sed in vētriculis eius stabulantur, adeo autē inæqualiter & cōfuse mouetur cor cùm à flatu palpitat, vt motum qui est secundum naturam ab eò qui præter naturam est discerni nequeas. neq; præterea calidissima cordis temperies, & quasi ignea impedit flatuum

generationem, quandoquidem in eô pituitam multi per autopſian repere runt: accedant ergo flatus à pulmone ad cor, quid impedit? At prius oportebat (inquit Rudius) cor orthopnęa laboraſſe, nō admitto: nàm paucis flatibus, qui non ſufficiunt orthopnęam inducere cor palpitat. Ad iungit motum palpitationis eſſe à re præter naturam, ergo cor quòd natu raliter mouetur non poterit ſine ipſius deſtructione præternaturaliter moueri. Verum hæc argumentatio inanis quidem eſt. Nam, ſicut calidum in exceſſu corpus, eſt calidum præternaturam, & tamen corpus naturaliter calidū poteſt ſimul eſſe pręter naturaliter calidum, vt apparet in febre in quà remanet vterq; calor. Eodem modo in palpitatione vterq; remanere motus poteſt, neq; ille qui eſt ſecundum naturam penitus aboletur, adueniente eô, qui præter naturam eſt.

Porro palpitationem legitimam ex

flatu frigido, & crasso fieri, dixit Galenus, illegitima ex alijs fit causis, quòd ex eodem recipio de quibus mox agam, cùmq; flatus simul cùm his causis stare possint, potest sub indè vtraq; palpitatio simul vrgere. 2. symp citato. 5. de loc. aff. c. 2.

Sed ante quàm vlterius pergam; quoniam dixi legitimam palpitationem à flatu fieri, & Galenus ex facilitate incipiendi & desinendi tenuitatem materiæ probat, videtur sibi met aduersari qui alibi ex eò probat epilepsiã ex crasso humore gigni, quia citò fit & citò desinit. de rig. trem. & palp. c. 5. 3. de loc. aff. c. 7

Vt hanc contradictionem diluere possis, aduerto epilepsiam fieri obstructis cerebri meatibus non omnino, sed aliqua ex parte, vt autem semi obstructio hęc fiat, sufficit paucus quilibet humor crassus, non sufficit paucus vapor. Quapropter epilepsia fiet subito, ex humore crasso subito ingruente, à vapore autem nõ nisi postquam paulatim accrescat: ideò dictũ est fieri à crasso humore epilepsiam quia subito fit.

Palpitatio ex quolibet fit flatu, qui facilius accedit ad partem quàm humor, ideò palpitationem dixit à flatu fieri quia citò fit. Et hòc quòd attinet ad modũ incipientis paroxysmi. Quòd verò attinet ad rationem terminandi, terminatur palpitatio per discussionẽ discutitur verò facilius, & citius vapor quàm humor, epilepsia terminatur per concussionẽ at humor quò crassius est eò facilius excutitur, quæ enim resistũt magis (vt superius dictum manet) impulsum melius accipiunt.

5 de loc. aff citato. in nonum Ras. ad A m.c. de trem.cord.

Illegitimæ palpitationis causę plures à Galeno referuntur, omnes tamen Iacchinus ad vnã reduci putat nempe ad vim vitalem grauatã: *Fit*, inquit, *repleto cordis externo inuolucro aqua, vt impediatur cùm attollitur, id est, ita vt non libere attollatur. Nã in constrictione non nihil attollitur atq; erigitur, quando & ipsius motum sentimus contra ac in arterijs. Cum igitur impeditur, fit vt dum vis est valida ad pulsationẽ concitetur eius quòd grauat,*

uat, & saltat, quòd palpitare dicitur, vel vt resarciat impeditos motus vno maiore, vel vtraq; de causa. Causam verò esse quæ impedit, aut melius quę impedire conatur pulsationem, patet ex remedijs: nàm Galenus, & sanguinis missione palpitationem curat, & extenuante victu vtitur, quasi infarctu liberare velit. Propterea existimat à nuda intemperie non fieri palpitationem: quippe necessaria est substantia quæ sua grauitate premat. Verumtamen non nè etiam à praua qualitate irritatur expultrix? ita sane. Iam ergo citra substantiæ affluxũ potest palpitatio accidere. Præterea sit ita, concedamus Iacchino fieri vt in ea palpitatione, in qua maior est systole expultrix irritata sit mali causa: nàm per systolẽ expellit cor fuligines: non nè quãdo diastole maior est; alia causa queren da est? maximè. quæ nàm est isthæc causa? aucta attractrix: nàm propter defectum sanguinis, & spirituum, co

gitur attractrix diastolem, quę attractioni inseruit, maiorem efficere. Defectus autem sanguinis, & spirituum priuatio quædam est, quòd si ibi aliquid positiuum consideremus, qualitatem hoc est, frigus esse reperiemus. Forsitan diceret, vbi deficit sanguis facultâtem languescere, & subindè dilatari non posse pulsationē prout palpitationis ratio postulat. Respondeo non illico deficiente sanguine, deficere facultatē, vt potequæ non primo, & per sè consistit in sanguine, sed in substantia seminali, & humido cordis primogenio, quare etiam deficiente sanguine aliquantulum vigere potest. Rursus obijceret si deficit calor, & spiritus vsum minui, & propterea vt non multa est opus refrigeratione, ita nec distensione. Sed considera duplicem esse vsum, vnum refrigerationem caloris cordis, alterum refectionem deperditorum spirituum, & hic secundus priori præpollet. licet igitur cesset

prior

prior vsus refrigerato corde, nihilominus augetur, secundus deficiētibus spiritibus ad quorum restaurationē in diastole pulsus augetur.

Sit igitur ratum, firmumq; non solum causam grauantem, quæ mouet expultricem, vt voluit Iacchinus, sed etiam priuationem substantiæ, quę auget attractricem, esse causam palpitationis. Sed iam specialius huius palpitationis non legitimæ, quæ cordis, & arteriarum est propria, causas enarremus. Potest in primis fieri, à vaporibus tetris, vel in corde genitis, vel aliunde irruentibus, vt ventriculo, iecinore, liene, vtero. Potest, & ab ebulliente calore excitari, à quò sanguis efferuescit. Vnde Galenus *4.aph.65* per cardiogmō intelligi posse admittit crebrum, & velocem cordis motū palpitationis similem, hòc est, palpitationem illegitimam, quæ si crebrū, & velocem motum facit, profectò à calore est. Auicenna hòc manifestius scribit, siquidem sanguinis missionē,

6. loc. aff. c. 2. quam Galenus in omni palpitatione admittit, ille ait necessarium esse propter sanguinem iuxta cor ebullientem.

Verum oritur hic difficultas, quam neminem soluisse video, si calida est causa palpitationis, cur in febribus ardentibus, & hecticis non palpitant febricitantes? Hæc ratio, apud aliquos, adeò potens fuit, vt eos coegerit dicere non posse à causa calida palpitationem fieri. Sed ego respondeo non à sola causa calida fieri palpitationem, nisi simul adsit substantiæ cordis debilitas, à qua fiat. Ita vt efferuescentia agitet inordinate, & vltra modum cor. Quemadmodum enim pusillanimis, & debilibus fœminis, aut viris effœminatis, ex qualibet ira, aut timore cor palpitat, ob innatã facultatis vitalis debilitatem, ita etiã ob debilitatem siuè ea sit innata, siuè contracta à morbo, ebullitio palpitare cor facit.

Instabis tamen si debilitas requiri-

tur ad palpitationem, nunquam motus erit magnus: magnitudo enim fit à facultate robusta, at nos videmus palpitationis motus adeò esse auctos vt non solum tactu, sed visu etiam comprehendantur, & quòd magis est, costulę allisu incuruantur, dislocantur, & aliquando rumpuntur. Et, vt inquit Fernelius, sæpe etiam visæ sunt, propter palpitationem, arteriæ dilatatæ in aneurisma contracti pugni magnitudine, in quo, & tactu, & visu conspicua erat pulsatio. Ita quidem affecto corde, arterię omnes vehementius pulsant, pręcipuè verò quæ supra iugulum sunt, & quod magis mirum videri debet, refertur à Cristoforo à Vega, palpitationem ab ipso visam fuisse aliquando adeò validam, vt perciperetur sonitus quasi lapilli in vas aqua plenum coniecti. 5. pathol. c. 12.

Hòc ita sè habet, nihilominus motiones illæ violentæ, cùm debili facultate, possunt conuenire, nō aliter atq; phrenitico iàm iàm morti proximo

ita valide moueri contingit, vt pluriũ robustorum hominũ vires superet. Vnde Aëtius, dum loqueretur de cardiacis, hoc est, de ijs qui animo linquuntur, ait, *& pulsus circa cor vehementes, & magnos.* quasi dicat, pulsationes has, quę exolutis adueniunt, non esse à facultate, sed ab obiecto nimiam vim inferente. Hinc communis, & vulgaris loquendi vsus obtinuit, vt palpitatio *batticuore* appelletur.

Fit etiam à causa frigida, hanc cõmuniorem esse video: quippe calidis remedijs semper Galenus in palpitatione vtebatur, bene conscius raram esse, quæ ex caliditate fiat, eà autem, quę calida est semper adiunctam habet febrem non leuem, ac propterea remedijs febri conferẽtibus, hoc est, refrigerãtibus curatur. Propterea frigidorum remediorum nunquam facit mentionem. Ingreditur igitur per venam cauam in cor sanguis pituitosus, vel, quòd idem est, simul cùm

san-

ſanguine pituita, aut etiam ſuccus melancholicus, & fæculentus, quæ cordi noxã inferunt. Hinc eſt quòd hypochondriaci multoties palpitationes patiuntur, non ſolum quia ex flatibus poteſt fieri in eis legitima palpitatio, ſed quoniam etiam non legitimam ex ſanguine craſſo, fæculentoq; generari conſentaneum eſt.

Ab humiditate fieri palpitationem non eſt dubitandum: ſiquidem humor multus vel in corde, vel in pericardio ne attollatur impedit. eſt quidem ſemper aqua, inſtar vrinæ, in pericardio, ſic prouidente natura, quæ voluit tunicam hanc cordi non adhęreſcere, ſed diſtare ab eò tantũ, quantum cordis motus poſtulabat, nequid autem vacuum eſſet impleuit hoc ſpatium aqueo humore opportuno ad temperandum cordis ardorem, ne ob perennes motus, & propriã igneitatem excandeſceret, opportuno rurſus, vt dum cor in eo quodammodo innatat, minus graue ſit animali, ſẽ-

per ergo in ſanitate humor ille, in pericardio continetur. Neq; audiendi ſunt, qui hoc negantes putant humiditatem, quæ in pericardijs cadauerum reperitur eſſe factam ex vaporibus, qui in animali, dum viuens erat, reperiebantur poſt mortem condenſatis. Immò ſi humor iſte deſit emaciabitur animal, vt habes exemplum in ſimia, quam Galenus diſſecuit, vt
6.loc.aff. c.2. ipſe narrat. Quemadmodum ergo, ſi deſit hęc ſeroſitas, animal marcore exhauritur, ita ſi redundet, cor palpitare cogitur.

Humiditas ergo, quæ nunquam ſine corpore reperitur, ſua mole, palpitationem efficit, ſiccitas etiã, quam nihil aliud eſſe arbitror, quàm humiditatis priuationem, poterit palpitationem efficere, nempè (vt iàm dixi) cogendo præ inopia facultatem attractricem vt fortius moueatur. Ridiculum eſt quòd aliqui dicunt, non poſſe ex contrarijs cauſis fieri vnum, & eundem effectum, quaſi ve-

rò non videant, & à calore, & à frigo re posse aliquid indurari,& è contrario ex vna causa contrarios effectus vt à calore & indurari lutum,& mollescere ceram. Cùm igitur affectus non primaria intentione à causis istis, seu qualitatibus primis producatur, non est cur negemus posse per diuersas vias ad vnum, & idem symptoma peruenire.

Potest etiam substantia aliqua adnata, *vel extra cor, vel in cordis sinubus,* palpitationem excitare: impeditur enim in his cor repleto spatio, non secus ac arteriæ in corporibus obesis. *Extra cor* habes exemplũ in gallo gallinaceo, qui tuberculum habebat ex multis laminis compositum, ex quo aqua exiuit similis ei,quæ in pustulis, quas vocant hydatidas reperiri solet. *In sinubus ventriculi* natam substantiam multis exemplis cõfirmare possum,Thomas Erastus in duobus viris illustribus dum eorum cadauera dissecarentur, se animaduertisse narrat, *part.5. disput. de feb. putrid.*

Castrens. P 2 cor-

corda habere infecta concretione quadam humoris pituitosi, flauescentis instar medullæ, quę in ossibus boū coctis reperitur, & in vtroq; apparuerat pulsus maximè inæqualis omni genere inæqualitis, in vno sine febre, in altero cùm febre. Incredibile sanè videtur id quòd Vesalius narrat de
lib.1.c.5. quodā cuius arteriæ pulsabant miris modis inęquali, & raro motu, quiq; arterię cōtractionē manifeste ostendebat, & ante mortem ita contracta fuit arteria, vt trium, aut quatuor ictuum spatio retardata, quasi expulsionem moliretur. Huic reperijt in sinistro ventriculo glandulosę, sed sub nigrātis carnis libras duas. Beniuenius
c.35. de abditis morborum causis, frustulum carnis in sinistro cordis ventriculo supra arteriam alteri reperijt, quòd mespili figuram habebat, hanc mulierem cordis dolore, & animi defectu vexatam obijsse dixit, interim de palpitatione nihil commemorat. Ita in multorum cordibus lapilli in-

uenti, & in aliorum etiam lumbrici palpitare cor cogebant, cuius rei apud eos, qui historias medicas accumulant non pauca exempla reperies.

Est & alia palpitationis causa, nempè arteriarum pulmonis obstructio, vt accidit Antipatro Medico; si autẽ obstructio sit in arterijs læuibus palpitatio erit sinè difficultate respirationis, cùm verò ad asperam accedat tũc iàm difficilis redditur respiratio.

Vides palpitationem legitimã totam à morbo esse, hòc est, à flatu crasso saltante, illegitimam à morbo & natura irritata, non est autem impossibile simul cùm causa illegitimæ dari etiam flatum à quò legitima fiat: immò hòc frequentissime sum expertus: cognosces autem legitimam simul cùm illegitima adesse: si cùm palpitatio sit continua, aliquando de repente exacerbetur, & de repente mitigetur, nàm tùnc à flatibus euntibus & redeũtibus mutationes fiunt: quippè (vt diximus ex Galeno) substan-

tia tenuis citò aduenit & citò desinit, præterea si in alijs corporis partibus flatuum multitudo adsit: hinc enim argumentaberis eosdem etiam & arterias, & cor occupare. In hac duarum palpitationum curatione illegitimam precipuè curabis, alteram verò non omnino contemnes, sed medicamentis flatum carminantibus vteris. Obiter tamen aduerte *in omni palpitatione* vtilissimam esse sanguinis missionem, & à Galeno satis commendatam: est quippè auxilium non solum euacuans, sed etiam reuellens, quare vel in palpitatione, quæ fit ex aqua in pericardio contenta oportet venam secare, vt simul cùm sanguine qui in venis est, diuertatur aquositas nè in capsulam incidens redundantię occasionem pręstet: iccirco meritò dixi in omni palpitatione.

.loc. aff.
itato.

Cæterum, quoniam de palpitatione egi, prò coronide tibi adiungam tremorem cordis esse palpitationi quidem finitimum, attamen ab ea diuersum,

uersum, quare dicipiuntur aliqui, in quorum numero est Aetius, qui palpitationem à tremore cordis non distingunt. Decipiuntur similiter alij, qui tremorem cordis non admittunt, ea ducti ratione, quòd tremor fiat ex pugna inter facultatem motricem, & grauitatem membri, videlicet facultate tollere conante, membri verò grauitate deorsum deprimente. Cùm autem in corde non adsit facultas animalis motrix, quæ pugnet cùm membri grauitate, nòn potest cor tremorem pati.

At secus res habet: nàm quemadmodum palpitatio illegitima, impropriè dicitur palpitatio: siquidem propria palpitatio est tota à morbo, illegitima verò à morbo, & facultate. Ita tremor cordis impropriè tremor appellatur, si comparemus eum cùm verò tremore. Nàm in corde facultas vitalis mouere conatur, sed præ imbecillitate non præualet contra resistentiam à membri grauitate factã,

& in hòc similis est propriò tremori qui fit per resistentiam factam facultati motrici. Itaq; in tremore proprio est pugna inter facultatem animalem, & pondus membri: in tremore cordis, hòc est in tremore improprio, pugna fit inter facultatem vitalem, & membri molem.

Sed statim occurrit dubitatio: quęret nàmq; aliquis in quo differt palpitatio non legitima, à tremore cordis? Si enim spuria palpitatio est, in qua facultas, ex vna parte, concurrit, ex altera causa morbifica, si rursus tremor fit ex pugna facultatis, quę nàm est differentia? Profectò differentia comprehenditur: nàm in palpitatione causa morbifica stimulat, facultas vitalis stimulata insurgit. In tremore facultas vitalis ex morbo, aut ex innata debilitate languescit, & nihil aliud violentię patitur nisi quòd non potest cor debito modo attollere, atq; ita pulsationes tremulæ sunt paruæ, & languidæ, ita vt pulsus formi-

cantes tremulos ſoleant medici appellare.

Adhuc inſtabis in tremore non dari pulſuum inæqualitatem: quia virtus languida pulſum efficit paruum quidem, inęqualem verò minime. Nàm vt facultati robuſtæ magni pulſus debentur, ſic parui imbecillę, cauſis autem deprauantibus deprauati. Reſpondeo poſſe ex facultate debili etiam procedere inæqualitates, & ob debilitatem fieri, non ſolum actiones deminutas, ſed etiam deprauatas. Quoniam vis ad actionem non ſufficiens, nõ ſolum deminutè operatur, ſed etiam ad aliquid extra ſuum munus conuertitur. Hòc in animali facultate videmus: quoniam moribundi multoties, non ob aliam cauſam in cerebro exiſtentem, ſed duntaxat ob labefactatam iàm penitus animalem facultatem, & ob ſpirituum iàm penè extinctionem, delirant. In naturalibus etiam coctio deminuta prauos humores gignit, & multoties ex

Caſtrenſ. inap-

inappetentia sit pica, hoc est, qui deminutè appetit, multoties etiam appetit res quas appetere non deberet.

Obijcies præterea motum tremoris esse sursum, & deorsum, motum verò cordis esse dilatationis, & constrictionis, & quamuis animal ponatur supinum, ita vt dilatatio fiat sursum, adhuc dilatatio est secundum omnes partes, & non tantum sursum. Cùm igitur dilatatio, & constrictio fiant à facultate, non habet locũ mẽbri pondus, quòd certè non nisi deorsum inclinaret. Respondeo posse etiam quietem in facultate omnino lãguida fieri: quia facultas, quæ attollere queat cor non adest, & sic compressio vt impotentiæ facultatis tribuitur, eodem iure membri grauitati tribui debet.

Tandem dubitabis cùm quies in pulsu non fiat nisi à facultate quomodo poterunt cor, & arteriæ, tremorẽ pati? quippè in tremore quies non à facultate, sed à grauitate mem-

bri fit. Respondeo non omninò certum esse quietem pulsuum fieri à facultate, quòd licet admittamus, nihil adhuc conuincit: quippè quies ista à facultate in tremore cordis non reperitur, dicente Galeno pulsum tremulũ esse formicantem, *in quo quietes vel nullæ sunt, vel non prorsus conspicuæ*. *2. sympt. caus.*

Itaq; tremor cordis, licet metaphoricus, datur. Et meritò Auicenna agit de tremore cordis vbi eum definit, inquiens, *tremor est motus tremulus cordis*. Nec dicendus est confundere tremorem cùm palpitatione: nàm palpitationem alibi *saltum* appellat, licet neoterici saltum vocẽt palpitationem, quæ magna est. Sed video autores nominibus ad libitum vti, quòd confusionem non leuem in arte parit. Galenus verò de tremore cordis intelligendus est, dum ait, *Quicunq; verò nulla tali de causa sæpius, ac fortiter exoluuntur, ij ob virtutis vitalis imbecillitatem hòc patiuntur:* *11. 3. tr. 2. c. 1.* *2. aph. 41*

tur: sicut & ille, cui, dum exolueretur, cor fortiter palpitabat, atq; hic de repente mortuus est. Ecce cor ex sola debilitate palpitans, quòd quid aliud est quàm pugna inter facultatis impotentiam, & resistentiam membri? idē alibi formicantem, hòc est, tremulū pulsum, vult necessario esse simul languidum: quippè fit à facultatis imbecillitate. Signa verò, quibus tremorem à palpitatione distinguimus, nulla alia esse queunt, nisi quòd tremor exiguas efficit pulsationes, & (quò ad inęqualitatem attinet) parum euariantes, palpitatio maiores habet motus, ac magis inæquales. Vtrumq; malum est perniciosum, sed tremor perniciosior.

lib. 2. de sympt. caussis c. 2.

Hæc tibi erunt exempla quædam complicatorum affectuū ex quibus poteris, ad alios complexus, analogismos conficere, siquis autem plura in hanc rem congeret, gratiæ ei habēdæ sunt. Mihi sufficit quòd non inutiliter, quamuis non perfectè, primus in hòc stadio sudauerim.

FINIS.

INDEX
RERVM AC VERBORVM Memorabilium.

Quæ in hoc Pulcherrimo Tractatu continentur.

A

Ctiones ob debilitatem facultatis, non solum diminutas; sed etiam deprauatas fieri. 233.
Acuti morbi cum chronico compositio difficilis est. 39.
Admonitio de coacta curatione. 69.
Aetij, & aliorum deceptio. 231.
Amatus Lusitanus bene percipit mentem Galeni, & Dioclis: sed aliàs malè. 169.
Anastomosis quid. 142.
Antonij Musæ de purgatione opinio. 123.
Argenterius de nominibus certat. 59.
Argenterij opinio de coindicante, & cōtra indicante ibidē.
Argenterius confundit morbum cum causa. 88.
Penitus reijcienda scribit. ibidem.
Arti à principio incumbendum. 8.

Ars

Ars an nouum morbum comprehendat. ibidem.
Asclepiadis deceptio. 142.
Auerroes volens tueri Galenum malè ipsum exponit. 168.
Auicennas interpretatur. 84.
Auicennas non recipiendus. 91.
Auicennas malè declarat Galenum. 169.
Auicennas de tremore cordis. 235.
Autor nullus de complexu morborum ex professo scripsit. 8.
Autoris excusatio. 236.

B

Balnea Aquæ dulcis laudantur in hypochondriaca patione. 182.
Beneuenins in sinistro cordis ventriculo frustulum carnis reperijt. 228.
Biliosam materiam turgere. 75.

C

Cacochymici diuersæ diuersa possunt occupare loca. 200.
Cacochymia Ventriculi magnas anxietudines inducit. 202.
Calida Iecoris intemperie existente cur Ventriculus est frigidus. 150.&
Aliorum opinio. ibidem.
Tomæ Roderici a Vega opinio. 152.
Autoris propria opinio. ibidem
Caloris extranei excessu cur prius Ventriculi quam Hepatis innatus calor extinguitur. 155.
Capitaceus risu excipiendus. 88.
Cardiogmos quid. 201.
In quo differat a lypotimia & a syncope. ibidem
In hoc affectu cum febre cui primo occurrendum sit.

fit. 202.
Dubitatio. 206.
Cassia Ventriculo purgando idoneum medicamentũ. 199.
Casus in quo occurrimus prius magis vrgenti, deinde causę. 65.
Causæ procatarticæ nihil indicant. 53.
Causa continens non prius: sed sola curatur. 89.
Causa externa nihil indicat quod ad curationẽ vsui sit, ibidẽ.
Solis admonitionibus curatur. 90.
Causa antecedens auferenda prius. 92.
Quę nam sit. 93.
Opponitur continenti. ibidem
Causa morbi remouenda aliquando non tanquam causa. 100.
Cerebrum facile suscipit frigidam intemperiem Iecore existente calido. 159. &
Christophorus a Vega mirum narrat. 235.
Comparatio inter similia, ad diuersas sectas pertinet. 41.
Compositorum morborum, alij simplicioribus salubriores alij perniciosiores. 37.
Qualis melior sit suis componentibus. 38.
Condictiones sine quibus non. 65.
Condictiones quæ se mutuo impediunt.
Consuetudo non comparanda cum causis externis: sed cum etate presenti. 53.
Consuetudo magnam vim habet indicandi. ibidem
Continens causa, quæ sit. 93.
Continens febris cum alia continente est eadem ideo compositionem non admittit. 14.
Continuæ febres eiusdem speciei infimæ, vtrum compositã efficiant. 13.
Continuæ proportionales componuntur. 14.
Contraria quæ sibi inuicem non sunt vtilia, vniuerso corpori sunt perniciosa. 40.
Contraindicans dupliciter dicitur. 60.
Contraindicans debet aliquando posse indicare. 61.
Cor aliunde potest recipere flatus, & etiã in se gignere. 215.

Curatio coacta. quæ sit. 67.
Quando conueniat. ibidem, & 68.
Ancareat periculo. 68.
Curatio regularis, quæ sit. 69.
Curatio ab extirpatione causæ incipienda, nisi adsit quid vrgeat. 87.
Curatio quomodo adhibenda duobus vrgentibus inequaliter. 110.
Quomodo vrgentibus equaliter. 112.

D

Diabrosis quid. 142.
Diaria febris cum alijs febribus adest non tamen apparet. 15.
Potest transire in putridas, aut hecticas; & ob quas causas. 17. & 18.
Dieris quid. 142.
Differentia inter duplicem tertianam, & duas tertianas dictas. 35.
Difficultas de medicamento purgante proponitur, & soluitur. 81. & 82.
Diocles immeritò reprehenditur a Galeno. 165.
Dogmaticus in quo Empiricum præstet, 8.
Dogmaticorum plures sectæ, 41.
Dolor magnus indicando vincit. 135.
Duo quæ nec sint morbi, nec symptomata, possunt esse causæ, & sibi inuicem causæ. 134.

E

Efficientem causam, & materialem in morbis ferè semper vnam, & eamdem esse. 87.
Empirici qua via in Medica Arte vsi sint, 41.
Epilepsia quomodo fit. 217.

Euacuatio diminuta in presente, quæ in futurum peri. euasura sit quomodo dignoscatur. 18.
Excretiones versicolores damnantur. 40.
Ex eodem intemperamento, morbi complicati, non confusi fiunt. 129

F

Facultas, in quo consistat. 220.
Febrium compositarum cognitio ex simplicibus habetur. 12.
Febres quatupliciter componuntur. ibidem.
Febris putrida, aut hectica vtrum necessario cum diaria sit. 15.
Febres quomodo complicantur. 20.
Febres quales complicatæ, quales confusæ dicantur ibidem
Febres ex viscerum inflammationibus si coniungantur complicatæ dicuntur. 21.& 22.
Febres ex inflammatione, quales complicatæ, quales confusæ dicantur. ibidem.
Febres horrificæ cur sic appellatę ab Hip. 25.
Febres nothæ cur inter simplices, non inter compositas à Galeno recensentur. 33.& 34.
Febris putrida est morbus fiens. 101.
Febris ephimera, & hectica sunt morbi facti. ibidem.
Finalis causa in morbis nulla datur. 88.
Flatus non in substantia cordis solidissima: sed in ventriculis stabulantur. 215.
Fluxus alui, febribus eueniens an spernendus sit, vel adiuuandus, vel prohibendus. 183.
Fluxus alui duplex, & qualis vnus quisq; sit. ibidem.
Formalis causa est ipsa morbi essentia. 88.

G

Galenus de semitertiana explicatur. 26.
Galenus indifferenter vsus est nomine duplicis tertianæ, vel duarum tertianarum. 34.
Galenus a difficultatibus liberatur. 43.
Galeni opinio de contra indicante. 60.
Galenus defenditur. 85.
Galeni interpretatio, partim erronea, partim violenter extorta. 139.
Galeni comparatio de motu arteriarum cum follibus, & de palpitatione cum vtribus. 212.
Galenus de tremore cordis explicatur. 135.

H

Hemitriteus est febris, quę dicitur semitertiana. 32.
Emitriteus exquisitus qualis dicatur, & cur solus hic. 24.
Hemitriteus ab Hippocrate valde lethalis appellatur. 38.
Herculani sententia ab Amato recepta. 35.
Hippocr. de semitertiana notatur, & interpretatur. 29. & 30
Hippocrates, & Galenus ab infamia vendicantur. 74.
Hippocrati non refragatur. 128.
Historia pueri laborantis melancholia. 181.
Humiditas in præcordijs cadauerum reperta non est facta ex vaporibus, qui in animali dum viuens erat reperiebantur. 226.
Humores, & in venis, & extra, turgere probatur. 74.
Humores non turgentes vtrum debeat Medicus purgare ante coctionem, questio 123. 123.
Humor prauus infestans os ventriculi eruginosa bilis esse solet. 203.
Hypochondriacam affectionem sepe reperiri cum oppositione

ne inter Ventriculum frigidum, & iecur calidum 165
Fieri posse sine consensu cerebri. ibidem
Cur vna ex tribus melancholiæ speciebus nominetur. 166
Inter morbos complicatos numeratur. 167
In hac piloron inflammationem pati ex Diocle, & Galeno. ibidem
Vtrum reperiatur semper cum obstructione. 122
Hypochondriaci quare vomunt calida, & acida, quæ contraria sunt. 174
Cur in ipsis excitantur flatus. 175
Cur fluctuatio in mesenterio persentitur. 176
Cur pulsatio. 177
Hypochondriaca passio quomodo curatur. 181

I

IAcchini opinio de causa palpitationis reijcitur. 218
Iecoris calida intemperies cum affluxu materiæ quomodo curaranda. 159.
Quomodo sine affluxu. ibidem.
Indicatio varijs descriptionibus a Galeno declaratur. 42.
Indicationes sunt in duplici differentia, alię communissimę, aliæ particulares siue artificiosæ dictæ. 44.
Indicatio sumpta a viribus pertinent ad vitam ideo prima omnium, & dignissima. 49
Non est, ex numero indicationum curatricum nisi ex accidente. ibidem.
Indicationes communes duæ. 50.
Indicatio curatrix duplex. ibidem.
Indicationes artificiosæ remediorum mensuram docent. 51.
Indicationes quę maxime vtiles censentur ad tres redigit Galenus. ibidem.
Indicatio a morbo non vniuersaliter sumpto. ibidem.
Indicatio a situ, & loco. 52.
Indicatio a temperamento. ibidem.
Indicationes, quæ a temperamento, & quæ ab ambiente,

accipiuntur inseruiunt ei, quæ a morbo sumitur. 54.
Indicans, Indicatum, & Indicatio quid sint. 48. & 49.
Indicatio aliquando coindicatio, aliquando contra indicatio nuncupatur. ibidem.
Inflammatio non semper accipitur pro abscessu: sed aliquãdo pro phlogosi. 170.
Ioannis Manardi de minoratione humorum ante coctionẽ opinio. 123.
Ioanni Brauo non assentitur. 127.
Isac explicatur de Ephemera. 17. & 18.

L

Lapidem esse morbum, non causam morbi. 102.
Leniens pharmacum exhibendum ante venæ sectionẽ, & quibus rationibus. 195. & 196.
In affectu ventriculi quando exhibendum. 267.
Lenientia medicamenta non fuerunt cognita a Galeno, nec ab Hip. ibidem.
Lodouicus Mercatus reijcitur de turgentia. 73.

M

Magnitudo morbi cognoscitur ex recessu a naturali statu. 54.
Magnitudo morbi duplex aliquando a Galeno statuitur, aliquando triplex, & aliquando a viribus sumitur. 55.
Magnitudo affectuum triplex. 63.
Maioris ratio duplex. 111.
Manardi sententia amplectitur. 129.
Manardus immerito reprehendit Medicos Mantuanos. 166.
Materia dum incipit concoqui non est purganda, nisi adsit aliquod vrgens valde magnum, 128.
Materia Ventriculum infestans duplex. 204.
Quæ accidentia efficiat. 205.

quomodo euacuanda. ibidem.
Medicus anceps viator qualis. 7.
Medico difficilimum est inuenire duo remedia contraria, quibus duos contrarios morbos expugnare possit. 40.
Medicus in quibus non differat a plebe. 50.
Medicamentum in principijs morborum non solum leniens: sed catharticum conuenire Autor probat. 127.
Medicamenti pars crassior, quæ remanet in Ventriculo vndecunq; trahit ad se humores. 162.
Medicamentum quomodo trahat humores. ibidem, & 163
Melancholiæ tres species. 166.
Melancholicos etiam ex retento semine fieri. 180.
Mercurialis, & Eustachius non admittunt palpitationem legittimam in corde. 213.
Methodici quales fuerunt. 41.
Modi quibus fit sanguinis sputum tres sunt. 142.
Morborum complicatorũ nomine, quid intelligat Autor. 9.
Morborum compositorũ tres differentiæ monstrantur. ibidē
Morbus compositus qualis. 10.
Morbus compositus, aut simplex vnde denominetur. 19.
Morbus compositus differt a confuso, & complicato tamquã genus a specie. 19.
Morbus complicatus qualis sit. 20.
Qualis confusus. ibidem, & 33.
Morborum an deterior sit simplex, an compositus. 36.
Morbus in tribus consistit. 52.
Morborum in complexu tria consideranda. 53.
Morbus triplex. 94.
In quo incipiendum sit ab extirpatione causæ. ibidem.
Morbus futurus quid sit. ibidem.
Quid fiens, & quid factus sit; non satis constat. ibidem. &
Aliorum opiniones. 95. &
Solutio. 96.
Montani opinio. 97.
Solutio. ibidem.
Aautoris propria opinio. ibidem.
Morbum factum, a fiente sola stabilitate distingui. 93.

Morbum aliquando esse causam morbi. 133.
Morborum lætalium duplex genus. 148.

N

NOmine comprehentionis quid intelligat Gal. 46.
Nomine iuuantis, & ledentis quid sit intelligendum. ibidem.

O

OBstructio est morbus fiens. 103.
Obstructio est causa ingentis Iecoris caloris. 156.
Obstructio iecoris duplex. ibidem.
Obstructionis iecoris signa. 157.
Obstructio tarditatē coctionis facit. ibidem.
Vtrum reperiatur semper in affectu hypochondriaco. 172.
Oppositione iecoris calidi, & Capitis frigidi magna Capitis habenda cura. 161.
Opposita intemperamenta in varijs membris complicatos efficiunt morbos. 150.

P

PAlpitatio in genere quid sit. 211.
Quotuplex sit. ibidem.
Palpitatio legitima omnibus membris accidit; illegittima cordi, & arterijs tantum. 212.
Palpitationis illegittimæ causæ plures. 218.
Palpitationis causæ speciales. 221.
Palpitatio legitima tota a morbo est, illegittima & a morbo, & a natura irritata. 229.
Legitima aliquando cum illegittima adest; & quomodo cognoscatur. ibidem.

Cui

Cui primo curatione occurrendum sit. 230.
In omni palpitatione vtilissima est sanguinis mistio. ibidẽ
Palpitatio illegitima in quo differat a tremore cordis. 232.
Paulus, & Auicennas scripserunt quomodo curandi qui amore insaniunt. 90.
Pharmacum minorans quando exhibendum. 130.
Pharmacum leniens exhibendum ante venę sectionem, & quibus rationibus. 195. & 196.
Plenitudo, & cacochimia simul possunt existere, & a qua sit incipienda euacuatio. 192.
Pleuritis, & cruenta spuitio sese inuicem augent, & sibi inuicem impediunt curationem. 144.
Pillulæ capitales quomodo assumendæ. 161.
Vtrum ante, an post cenam exibendæ sint. ibidem.
Pulsus vsus duplex. 220.
Purgatio qualis respõdeat deminutæ sanguinis missioni. 123.
Purgatio quando fieri possit in statu, & augumento morbi. 129.
Purgationem in principio esse regularem, & legitimã. ibidẽ.

Q

QVæ iudicantur, dum iudicantur quomodo cognosci possint. 189.
Quotidiana intermittens rara est. 24

R

RAtionales seu Dogmatici in medicina qua via vsi sint. 41
Remediorum quantitas ex morborum magnitudine hauritur. 54.
Remedium habet naturam adminiculantem. 56.
Res non naturales sunt in numero causarum externarũ. 90. 91
Conferunt ad cognoscendos affectus. 92

Rondeletius malè reprobat opinionem Dioclis, & Gal. 167.

S

SAnguinis sputo anni tempus, tum calidum, tum frigidū quomodo obesse possit. 142. &c.
Sanguinem alituosum a Iecore calido emanare. 160.
Scrupulosi quidam reijciuntur. 80.
Semitertiana vnde dicta. 23.
Quadrifariam componitur. ibidem.
Ipsius differentiæ. 24.
Quas condictiones debeat habere vt exquisita sit. ibidem.
Semitertiana ex duobos continuis non potest fieri. 25.
Neq; ex duabus intermittentibus. 26.
Semitertianarum, qualis intermettens. 27.
Semitertiana vtrum sit morbus acutus. ibidem.
Semitertianarum nomine aliquando apud Galenum intelligi tertianas duplices. 29.
Semitertianam diuturnis morbis accidere. 31.
Semitertianæ altera die grauiores, altera leuiores, 32.
Semitertiana exquisita habet vt vtraq; accessio simul adueniat, & confusa febris dicitur. ibidem.
Minus exquisita complicata. 33.
[illegible] desidantur in raucedines, & grauedines, quæ coctionem non admittunt. 160.
[illegible] aliqua habent rationem causæ. 9.
[illegible] curationem immutant. ibidem.
Symptomatum, alia cōpositionem efficiunt, alia minime. 18
Symptomata sibi inuicem causæ. 134.
Symptomata esse causam morbi, & è contra. ibidem.
Syrupi in affectibus capitis quomodo exhibendi. 162.

T

TEmperamentum quatuplex, 52.
Temperamentum, & aer conferunt ad cognoscendum

naturalem statum, 51.
Tẽperamentũ senile siccũ, a excrementis d'citur hum d. 1
Tertiana duplex in quo differat a duobus tertianis. 35.
Thomas Rodericus a Vega non recipitur. 26.
Thomæ Erasti obseruatio in sectione cadauerum duorũ 227.
Traendi tres modi. 136.
Tremor duplex. 231.
Tremorem cordis esse quid palpitationi finitimum, tamen ab ea diuersum. 230.
Tremor palpitatione perniciosior morbus. 236.
Tremor cordis impropriè tremor appellatur. 231.
Turgens materia, suapte natura semper vrget. 72.
Turgere quid sit. 76.
Turgens materia, an vrgeat in presens, an in futurum. 78.
Turgere dupliciter dici. 73.
Turgere vt dicatur materia, quatuor requiruntur. 75.
Turgens materia, statim purganda propter futurum malũ. 79

V

VAcuationem in principio morbi a natura factam. materia multa existente consulto fieri. 130.
Vacuatio per epicrasim quando facienda. 131. 132.
Vallesius reijcitur. 127.
Vallesius laudatur. 141.
Vapores turgere dicuntur. 75.
Vehementiam medicamenti esse in causam, vt humoribus crudis existentibus nihil dignum notatu extrahatur. 129
Venæ sectioni debet præcedere cruditatis deiectio. 196.
In quibus non valeat hec regula. 198.
Ventriculi imbecillitas quid sit. 154.
Ventriculus quomodo corroborandus. 204.
Vesalius incredibilia narrat. 228.
Vires in quo casu indicant, & morbus coindicat. 62.
Vires in quò casu indicant, & morbus contraindicat. ibidem.
Vires quando indicent, & quando contra indicent. ibidem
Vi-

Virium magnitudo in primo ingressu morbi non potest statim comprehendi. 120.
Viæ quatuor in arte medica. 40.
Virtus ex accidente indicat. 57.
Et quomodo. 58.
Vita est ptimum indicans. 49.
Vnum, & idem intemperamentum potest in diuersis locis diuersos excitare morbos, 149.
Vrgenti primum occurrendum est, 66.
Vrgentis plures gradus. ibidem.
Vrgens dupliciter dicitur. 70.
Vrgentia duo equaliter, tripliciter considerantur. 112.
Quomodo ijs satisfaciendum quando vtrumq; periculum habent presens, & eamdem curationem postulāt. ibidē.
Quomodo quando diuersam, & penè contrariam. 113.
Quomodo ijs satisfaciendum quando vtrumq; periculum futurum habent, & eamdem curationē desiderant. 115.
Quomodo quando non vna, & eadem curatione tolluntur. ibidem, & 116.
Quomodo quando aliquid in presens, aliud in futurum vrget, & eamdem curationem postulat. 118.
Quomodo quando diuersam. 119.
Vsus calidorum calefaciunt Iecur, & tunc curatio difficilior. 158.

FINIS

Adm. Ren. D. Nicolaus Cinius Can. Flor. videat an in hoc opere aliquid contineatur quod Pietati Christianæ, bonis vè moribus aduerset? nobisq; inferius referat. 11. Septembris 1624.

Petrus Nicol. Vic. Gen. Flor.

Ego Nicolaus Cinius Can Flor. legi aureum hunc libellũ Excell. D. Stephani Castrensis, in quo nihil inueni quod Catholicæ Fidei aut bonis moribus aduersetur, & propterea dignum iudico, quod typis mandetur. In quorum fidem propria manu subscripsi. Die 13. Sept. 1624

Nicolaus Cinius Can Flor. m. pr.

Attenta relatione præmissa, licentiam concedimus libellũ prædictum typis excudi posse Florentiæ, ordinibus consuetis seruatis, 13. Septembris 1624.

Petrus Nicol. Vic. Gen. Flor.

Thesaurus inuisus & sapientia abscondita, quæ vtilitas in vtrisq; ? Prodeat igitur in lucem Tractatus de Complexu Morborum Excell. D. Stephani Roderici Castrensis, non Athos sed Adamas, non mole sed virtute magnus, multa enim magna, præclara, vtilia complectitur, paruoq; conchylio, aureum Oceanum claudit, & cũ, mè inspiciente, ad lidium lapidem omnia sint probata; nè vereatur Typographus cedro digna, typis dare.

Florentię apud Sanctam Crucem in ædibus nostræ solitæ residentiæ 14. Septembris 1624.

F. Ludouicus Corb. Inquisitor Generalis Florentiæ.

Stampisi a di 16. di Settembre 1624.

Niccolò dell'Antella.

Lapſus typografici corriguntur in hunc modum. prior numerus paginam, ſecundum Verſum denotat.

Pag. 15. Verſ. 11. ſuas miniſtras - ſuas mineras. - 17. V. 17 gliutinetſiq; - gliutinoſiq; - 17. V. 22. ab errores. ob errores. - 22. V. 3. pluræ pleuræ. 54 - V. 23. cognitio - cognitò. 86. V. 1. conſequabantur - conſequebantur. - 94. V. 20. laſſitudimes laſsitudines. - 94. V. 23. ſiens fiens. - 95. v. 3. af. se. expungito - 98. V. 13. condero - conſidero - 105. V. 7. A. At. - 114. V. 8. eſſet - eſſe. - 116. V. 17 nepheriticis - nephrificitis - 123. V. 23. mouetur - videtur. - 128. V. 17i ſuparerat - ſuperat. - 200. V. 15 molcorporis - mole corporis